



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562


Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

Benevole Lector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)



Benevole Lector.

Hucusque secundis Musis continuatam
Fleurii Abbatis Historiam, ejusque
versionem latinam usque ad vigesi-
mum perduximus Tomum: cum autem
non paucos sciendi desiderium incesserit,
quot adhuc tomi prælo subjiciendi restent,
horum etiam votis satisfactorius significare
volui, quod circiter septem, vel octo versio-
nis meæ tomi superesse videantur, qui-
bus in lucem editis integrum Continuato-
ris opus latine redditum intra breve tem-
poris spatium publicam lucem aspiciet:
quoniam vero hic idem Author morte præ-
ventus suam continuationem duntaxat ad
annum Domini millesimum quingentesi-
mum nonagesimum quintum perduxerit,
a 2 pluri-

plurimi tamen ex literatis hanc historiam eadem methodo continuari desiderent, hinc si vita comes fuerit, ac per creberrima, quibus obruor, negotia vacaverit, illam prosequi statui, hujus laboris sat molesti fastidium leniente Lectorum meorum benevolentia, qua hucusque tam meam versionem, quam subinde adjectas annotationes æqui, bonique consulere dignati sunt; non equidem ad id me incitabat cunctis placendi studium, nam de omni re varia sunt hominum judicia, & præprimis *pro sensu Lectoris habent sua fata libelli*: parum autem curandum est illorum iudicium, qui præcipue in historicis nonnisi ea deprædicant, quæ ipsorum aures titillant, vel ex privato odii, aut vindictæ, vel amoris studio juxta corrupti sæculi genium consona videntur, parumque de rei gestæ veritate, minus vero de Religionis honore solliciti, quicquid sacrum, religiosumque est, nauseant, fastidiunt, & tanquam de veritate suspectum contemnunt: sed ejusmodi hominum nec laude, nec approbatione lætor, neque illorum censoriam virgam vereor; quippe probe sentientibus, veritatem amantibus, ac sano iudicio præditis laborem meum utut exiguum consecro, illumque ulterius favente Deo prosequi intendo.

Cum vero jamjam in eo essem, ut præsens hoc opusculum ordine quadragesimum
quar-

quartum abfolverem, illudque typis im-
preffum publici juris facerem, tunc in ma-
nus meas inciderunt literariæ cujusdam
Berolinenfis critici annotationes, quas i-
dem in fua appendice a tertio usque ad
duodecimum volumen fui germanici ope-
ris, cui titulum præfigit: Allgemeine deutsche
Bibliothec, gedruckt in Berlin, und Stettin,
verlegt Frideric Nicolai, hoc anno 1771. e-
didit: Ibi præfatæ hujus lucubrationis Au-
thor pagina 454. Historiam Ecclesiasticam
Abbatis Fleurii a tomo XXIII usque ad
tomum XXXVII recensens præter alias va-
riorum operum cenfuras præcipue per-
stringit annotationes meas, quas Fleuria-
næ historiæ continuationi hinc inde subjun-
xi, ubi id immoderatam fcribendi licen-
tiam caftigandi, vel hallucinationes corri-
gendi neceffitas, fanumque judicandi in-
genium prudenter fuadebat: de cetero au-
tem ultroneus hic cenfor tam meæ ver-
fionis rationem, quam ipfius Continuatoris
opus penitus intactum reliquit, eoquod to-
tam fuæ crifeos vim in adjectas hafce an-
notationes meas exonerare voluerit, mihi
indignatus, quod pro more Proteftantis il-
lius interpretis, qui Lipfienfem Fleurianæ
Historiæ germanicam editionem merito
profcryptam vulgavit, notas Religioni Ca-
tholicæ admodum contumeliofas non adje-
cerim, in Pontifices acerbius non infurre-
xerim, atque Ecclesiasticorum vitia ipfo

etiam Continuatore severius non exaggeraverim, ac dogmata, in quibus Protestantes a Catholicis discrepant, obsequioso silentio non approbaverim, atque, prout nonnullis Pseudo-Catholicis, falsisque Politicis hodiedum sat solemne est, ita animo Catholicus esse noluerim, ut tamen lingua apud fidei adversarios ex nefando famam comparandi studio hæreticus esse videar: paucis, hic Author mihi succenset, eo quod Pontificibus Romanis nimis propensum me exhibeam: quam vere autem hoc iudicium de hujus Viri crisi feram, adeo quilibet obvio oculo hæc censuras percurrens dispiciet, ut opus non sit, esse aquilam, sed sufficiat, non esse talpam. Equidem non usque adeo arrogans sum, ut me non raro humana passum fatear, multa que fors occurrere credam, quæ in tanta rerum varietate, ac copia vigilem etiam oculum subterfugerunt, atque solertiam impigre impensam eluserunt: quandoque enim etiam bonus dormitat Homerus: num vero Berolinensis censura sit æqua, ac juxta prudens artis criticæ dictamen pronuntiata, possem equidem saniorum, literatorumque iudicio relinquere, quin vel ullum reponerem verbum; eruditorum enim non pauci, qui literarii hujus Berolinensis Novellistæ notas meis animadversionibus iniustas perlegerunt, easdem nullo, quod doctum, prudentemque virum convincere posset, argumento

mento

mento suffultas deprehenderunt, minus vero illas adeo validas censuerunt, ut quempiam a partium studio alienum eo inducere valerent, ut de me suspicaretur, perinde ac si continuatæ Fleurii Historiæ quicquam veritati minus consonum, aut ad arbitrium meum quocunque demum ex fine confictum intrudere voluerim, vel in castigandis Continuatoris mei nævis debitæ moderationis limites excefferim: hoc quidem erat doctiorum iudicium: ut tamen cuius adhucdum clarius mea haud culpata, nec corrupta agendi ratio patefceret, cunctis palam facere decrevi, ea, quæ in meis annotationibus ab erudito hoc viro carpuntur, immerito ironica sua censura fuisse perstricta, ac facillimo brachio refelli posse; cum hujus Viri censura nequaquam læsæ veritatis jura vindicare, sed duntaxat Religionis, sedisque Apostolicæ auctoritatem a calumniis vindicatam deplorare videatur: Ut vero hac in re omni, qua par est, sinceritate, ac perspicuitate procedam, ac cuilibet tam de meis notis, quam de earum censuris expedita judicandi facultas sit, presso pede, si ita loqui fas est, hujus Critici vestigiis insistere, nec ullum, quod in me vibravit, verborum jactum subterfugere statui: hinc singula, quibus me appetiit, censurarum verba idiomate, quo scripsit, Germanico summa integritate referam, illarumque confutationem in Paragraphos

divisam mox subjungam: equidem illa argumenta, circa quæ Catholicos inter, & Protestantes fervet litigium pro ea, quam sibi alias pro sua dignitate vendicarent, prolixitate discutiendi animus mihi non est, nec id utrinque instituti nostri ratio postulat: quapropter mihi satis, superque erit, paucis demonstrasse, quod Berolinensis hic Criticus sanæ crisis regulas, aut non intellexisse, aut intellectas, quod verius censeo, neglexisse videatur: inde vero ortum traxerit, quod in sinistram partem interpretaretur id, quod veritatis studio impulsus literariæ Reipublicæ, ac historicæ veritatis amantibus propinaveram. Sit igitur

§. I.

Censor Romano - Catholicis Scriptoribus Ecclesiasticis generatim fidem abnegare videtur.

Berolinensis hic Censor pag. 455. Fleuriannæ Historiæ, ac Continuationis, meæque versionis tredecim tomulos (forte tanti laboris moles necessarias ad reliquorum sex opusculorum crisis vires exhauferat) recensens suam mentem prævie his verbis explicat:

Der Uebersetzer, welcher der Pater Alexander a S. Joanne a Cruce Carmelita exalceatus Prof. Bavaricæ, olim S. Theologiæ, ac
SS. Ca-

SS. Canonum Lector ist, hat auch Anmerkungen hinzugefüget. Man weiß, wie eine Kirchengeschichte von römisch catholischen Verfasseren beschaffen seyn wird. Prima hæc verba latine sic reddo: *Nullus ignorat, cujus conditionis erit Historia Ecclesiastica a Romano - Catholicis Authoribus conscripta:* Hæc verba nec meam versionem, nec annotationes meas, sed omnem Historiam Ecclesiasticam a Romano - Catholicis editam petunt, ejusmodi autem censura utpote universalis, nimis acerba, ac tot Scriptoribus omni ævo clarissimis, ac Religione Catholicis summe injuriosa videtur, juxta quam Sanctissimi æque, ac doctissimi primorum Ecclesiæ sæculorum Patres, ex quorum fontibus Romano - Catholici Authores historiæ suæ aquam liberaliter hauserunt, aut falsitatis, simplicitatis, aut præoccupatæ mentis vitio laborasse redarguuntur. Forte hi Sancti Patres Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Athanasius, Gregorius, Epiphanius, Cyprianus, Basilius, aliique Religione non erant Romano - Catholici, sed Calvinistæ, Lutherani, Zwingliani &c. Num Historiæ Ecclesiasticæ ab Eusebio, Pamphilo, Nicephoro Castillo, Rufino Toranio, aliisque quamplurimis conscriptæ alios recognoscunt Parentes, quam Romano - Catholicos? ex illis autem Scriptoribus recentiores Romano - Catholici Authores, quicquid de Ecclesiæ statu, propagatione, persecutionibus,

ritibus, doctrinis, Pontificum, Præfulum, & Sanctorum Eremitarum vitis, hæreticorum erroribus &c. posteris reliquerunt, suas Historias concinnarunt: quis vero prudens, sanæque mentis homo de illis universaliter asserere audeat: *nullus ignorat, cujus conditionis sint Historiæ Ecclesiasticæ ab his Romano - Catholicis Authoribus conscriptæ:* Parcius ista viris! profecto noster eruditus censor telum hoc adeo incaute evibravit, ut non animadverteret, quod illud in ipsummet recidens omnes Scriptores A catholicos feriat: si enim universaliter Historiæ Ecclesiasticæ a Scriptoribus Romano-Catholicis editæ nullius, aut saltem suspectæ (ut haud obscure innuere videtur) auctoritatis sint, plane exinde convincitur, quod omnes Historiæ Ecclesiasticæ de Romana Catholica Ecclesia a Protestantibus, atque Heterodoxis conscriptæ, aut pariter nullius, vel saltem suspectæ sint auctoritatis, vel prorsus arbitrarie confictæ, vel duntaxat ex suspectis, & adulterinis Scriptoribus haustæ.

Quippe ante ducentos circiter sexaginta annos, seu ante Lutheri, Calvini &c. tempora Scriptores, qui de Ecclesia, Summis Pontificibus, Conciliis &c. quædam posteris reliquerunt, erant ferme omnes Romano - Catholici, eaque monumenta, ex quibus hi suas historias concinnarunt, tunc pariter ab Authoribus Romano-Catholicis erant scripta, atque relicta, cum ergo Pro-
testan-

testantes Historici, qui de Ecclesiæ rebus ante suorum Protoparentum tempora gestis scripserunt, ad elucubrandas suas Historias Ecclesiasticas non alia, quam ab Authoribus Romano-Catholicis tradita documenta, historiasque habere potuerint, necesse est, ut etiam illorum quoque Historiæ nullius sint auctoritatis, vel si quid novum, vel catholicis Scriptoribus aduersum in suis historiis referunt, ipsimet monumenta recens confinxerint, vel ab hæreticis antiquis, aliisque Ecclesiæ hostibus, quales erant Benno Cardinalis schismaticus, Arnoldus Brixienfis, alique ejusdem furfuris homines, conficta, atque ex invidia, vindictæ cupidine, iræque impetu temerarie conscripta mutuarint, ac propterea sequatur, ut omnes ipsorum Historiæ utpote vel ex Romano-Catholicis, vel ex hisce putidis, suspectæque fidei fontibus haustæ itidem nullius, vel saltem suspectæ auctoritatis sint, proin meliori jure de ejusmodi Protestantium elucubrationibus asserere possem: *Nullus ignorat, cujus conditionis sint Historiæ Ecclesiasticæ a Protestantibus Authoribus editæ,*

Insuper si hæc Censoris nostri verba adeo generalia veritatem redolerent, quænam demum in universo perstabit historia? si enim A catholicis fas est fidem abnegare illis historiis, quæ a Catholicis ex ipsismet monumentis, ut vocant, originalibus,

riis, seu Archetypis conscriptæ sunt, nonne potiori jure Catholici gaudebunt, atque utentur adversus Acatholicos, ita, ut ex solo ejusmodi Authoris nomine, & Religione de ejus fidelitate, atque ipso historiæ merito judicium ferre liceret, potiori inquam jure, cum Protestantium potissimi passim in omnibus suis historiis, imo in omnibus quibuscunque libris tot convitia, tamque pudenda, ac manifesta mendacia, atque atroces, manibusque palpandas calumnias contra Ecclesiam Catholicam, summos Pontifices, Ecclesiasticos, nostrosque ritus inspergant, ut quivis prudens lector primo obtutu, ac vix perlecta una, alterave pagina illico etiam Authoris Protestantis bilem deprehendens ejusmodi librum nil ultra valere judicet, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus: quinimo non modo Catholici, sed ipsi etiam saniores, magisque moderati Protestantes hodiedum in suæ Religionis Scriptoribus majorem modestiam, & in rebus recensendis, ac dijudicandis sinceritatem, integritatemque desiderant, nec non nimis effrænem calumniandi, & convitiandi, ac quæcunque sancta, & pia depravandi, & sinistre interpretandi libidinem deplorant, nec immerito, quia ex ea depravata hac judicandi licentia certe nil nisi verus Pyrrhonismus in Republica literaria, Imperio, atque Ecclesia enasceretur; si enim duntaxat

eo ex capite, ac titulo, quod aliquis Scrip-
tor sit Religione Romano-Catholicus, eidem
impune, ac promiscue omnem fidem ab-
negare liceret, quis prudenter fidat Aca-
tholicis, qui quam exacerbata, ac livida
mente in Religionem Romano-Catholicam
cæco prorsus impetu ferantur, vel ipsamet
hæc verba: *Nullus ignorat &c.* a nostro Be-
rolinensi Critico prolata sat manifeste indi-
cant: porro in Historico-Critico nullum a-
liud vitium magis redarguendum videtur,
nisi prædominans passio, seu privati affectus
studium, quo quis vel amore nimio, vel
odio immodico in illum, de quo scribit, fer-
tur, atque ad scribendum impellitur; nam
ejusmodi passionum suarum mancipia in
publicam lucem edunt ea, quæ ad satian-
dum privatum affectum atra, atque exaspe-
rata bilis magis dicitur, quam quæ germana
veritas subministrat: unde evenit, ut Aca-
tholici in sanctam Romanam Sedem cæco
furore commoti in Pontificum invidiam,
odiumque aniles excogitarint fabulas, qua-
rum ipsosmet ejusdem quidem Sectæ Vi-
ros, magis tamen moderatos jam pudeat;
exemplo sit fabula de Joanna Papissa, quam
tot putidis mendaciis scatentem tam clare
agnovit ipsemet Blondellus Calvinista, ut
ipsam velut pudendum commentum ex-
ploderet: pariter Grotius in 1. Petri 5. v. 13.
& cum eo Protestantium non pauci illos
refellunt, qui Romanum Petri iter uni-
ce

ce in odium Catholicæ Ecclesiæ protervius inficiabantur, ut videre est apud Augustinum Calmet in dissertat. de Itin. Rom. S. Petri. Ex eodem autem Catholicos convitiandi pruritu ortum traxit, quod Protestantés Historici testimonia Catholicis faventia, aut omnino suppresserint, aut non nisi truncate protulerint, unice studiosi, ut pro veris falsa venditent, cunctaque suæ libidini male ordinatæ accomoda incautis lectoribus obtrudant, prout haud immerito Clarissimus Pater Parode in sua Præfatione tom. I. Lipsiensi Historiæ Fleurianæ Interpreti Germano objecerat: haud equidem diffitemur, quod A catholici hi Scriptores (si verum fateri vellent) quadantenus hujus vitii obtentum quærere possent ex eo, quod neglectis, spretisque Autographis, ac genuinis primitus editis operibus (utpote conscriptis a Romano-Catholicis Authoribus) plerumque suas historias confarcinare coacti fuerint, vel ex arbitrarie excogitatis, confictisque, vel ex incertis vulgi rumoribus, aut lividis quorundam epistolis, ac Satyris, in quibus impudentia cum mendaciis de victoria certat: attamen etsi hæc excusatio benignius admitteretur, in hoc tamen manifestius culpandi, quod studiose suas historias nunc quoque consuere soleant ex male confarcinatis relationibus eorum Scriptorum etiam nominatenus Catholicorum, qui Ecclesiasticis suis Superio-

perioribus rebelles, atque infensi in illos inimico profus calamo debacchati sunt, quos sedulo conquirunt, ut veluti squammati Philisthæi gloriari valeant, quod Authorem Catholicum perversis suis opinionibus ancillantem in castris Israel invenerint, qui pari cum ipsis ululatu prævie Ecclesiam allatravit. Inquiratur in originem omnium calumniarum, quibus ab A catholicis impetuntur Pontificum potissimi, & vadem me exhibeo, quod hæc vel ab ipsis Protestantibus ultro fuerint confictæ, vel ex quodam Scriptore schismatico, hæretico, ac privatæ vindictæ, aut iræ libidine accenso a Protestantibus fuerint mutuatæ, & descriptæ: quæ autem fides adhibenda est Historiis, ac Scriptoribus ejusmodi conditionis? nonne potius per sanam crisin discutere deberent, qua mente tales scripserint, quibus ex fontibus ea deprompserint, an non potius adimplendæ vindictæ, ac rabiei æstro perciti, non vero veritatis studio animati sua dicta protulerint &c. hinc minime temerarius audiam, si asserere auferim, quod Protestantium Historiæ Ecclesiasticæ, si quid proferunt contrarium, injuriosum, ac diversum ab eo, quod Romani-Catholici, prudentesque, ac pii Scriptores reliquerunt, quod, inquam, ejusmodi historiæ merum sint commentum, ut patet in maxima parte Annalium Ecclesiasticorum e. g. Samuelis Basnage, nec non in Historia

ria

ria Ecclesiastica Christiani Eberhardi Weifmanni, aliorumque: si enim hi in suis relationibus de rebus Ecclesiasticis Catholicorum monumenta non sequuntur, unde genuina ipsis suppetere poterunt documenta? cetera enim, quæ non edita sunt, Pontificum diplomata, & decreta, Conciliorum Acta, Ecclesiasticorum tribunalium decisiones, factaque ad legitimas tabulas relata continentur in Scriniis, quæ Protestantibus adire haud adeo facile conceditur, nec etiam Protestantes circa ea, quæ vel Romæ, vel in aliorum Episcoporum Curiis, aut Catholicorum Principum, Regumque tribunalibus pertractantur, Ecclesiasticasque causas concernunt, consuluntur, nec accersentur, imo interesse prohibentur: quo ergo fundamento, ac ratione suffulti in suis historiis recensere possunt ea, quæ a Catholicis ignorantur, nec in eorum libris reperiuntur: necesse igitur est ea ab A Catholicis ultro fuisse conficta. Cujus demum conditionis sint ejusmodi Historiæ Ecclesiasticæ ab illis conscriptæ, nullus est, qui ignorat, cum hi I. pro veris conscribendis historiis Ecclesiasticis antiquos, ac genuinos Scriptores Catholicos repudient. II. Ipsamet authographa in suo, ut ajunt, fonte inspiciendi copia careant. III. ac plerumque suis immoderatis passionibus erga illos, de quibus scribunt, obcæcati veritatis lucem aspicere nequeant: major ergo fides

fides adhibenda Historiis Ecclesiasticis, quas Romano-Catholici conscripserunt, ac conscribunt; cum hi cuncta ex veterum Scriptorum, & authographorum fontibus hauriant, ac per Sancta Religionis suæ præcepta effrænes passiones suas domare didicerint.

§. II.

Continuatæ Historiæ interpretem peculiariter carpit.

Postquam autem eruditus hic Criticus generatim Historias a Romano-Catholicis conscriptas acerbiori hac censura perstrinxerat, ad particularia descendens, ita prosequitur: *Allein die Denkungsart der Urheber nimmt sich doch sehr vortheilhaft vor der Denkungsart des Uebersetzers aus. Da uns der letzte vorzüglich angehet, so wollen wir in einigen Beyspielen den Geist seiner Anmerkungen zeigen. Ast sentiendi ratio, quam sequitur Author, longe nobilior est illa, quam adoptat interpretes: His verbis Censor non meam versionem, sed me, measque petit animadversiones, quibus præcipue ea, quæ Continuator contra summos Pontifices, atque Augustissimam domum Austriacam aut incautius ex A catholicorum libris descripsit, aut iniquius ipsemet addidit, falsitatis convincere, & redarguere conatus sum, ac propterea longe diversam sentiendi rationem in meis notis manifestasse arguor, quam*

Hist. Eccles. Tom. XLIV. b Author

Author in sua continuatione prodidit. Nempe cum Continuatore præclare sensissem, si pariter in Pontifices, & Cæsares lividum calamum strinxissem. Verum errat, aliosque secum in errorem ducit doctissimus hic Censor, dum sibi persuadet, aliisque persuadere nititur, quod deceat conscribere Historiam secundum eum, quem quis de aliqua re privatim concepit, sentiendi modum; nam Quintilianus asserit, quod historia scripta sit non ad probandum, sed ad narrandum: prout aliquod factum contigit, sic illud historicus referre tenetur, nec id suæ opinioni accomodare, minus vero ad satiandum suum affectum contorquere debet: *cum ergo* (verba sunt nostri Critici) *de posteriori*, nimirum de verfore nobis præcipue agendum sit, nonnulla, ex quibus suarum annotationum Spiritus, visque elucebit, specimina in medium proferemus: primi autem speciminis loco Censor adducit Sententiam circa auctoritatem Pontificis, quem Concilio Superiorem esse in meis animadversionibus propugnabam, atque Continuatoris opinioni, seu nobili ejusdem sentiendi rationi me opposueram: attamen eruditus hic Novellista de me, meisque notis, quibus subinde Fleurianæ historiæ Continuatorem castigavi, perperam sentit, si forte existimet, quod privatæ meæ, quam prius ultro concepi, sententiæ historica facta conformare fategerim; nam potius contra-

rio

rio studio incitatus, hunc laborem suscepi; tunc enim duntaxat Fleurianæ historiæ quasdam adjicere annotationes consultum duxi, quando illius Continuator illa, quam Galli quidam tenent, opinione abusus in summos Pontifices, eorumque auctoritatem indignius insurgerebat: tum vero non, quid ego sentirem, in medium attuli, sed ex allegatis quibusdam probatoribus historicis protuli ea, ex quibus prudens lector hujus sententiæ novitatem, & oppositæ vetustatem deprehendere, pariterque prudenti criterio concludere posset, an simplicem omnino fidem adhibere valeat illis, quæ Continuator plerumque ex Scriptoribus de Historica fide valde suspectis descripserat, atque ad propugnandam suam sententiam produxerat: nec tamen inde quis inferat, quod propterea Continuatoris historia penitus sit rejicienda, nam id ego probare nunquam aggressus sum, sed duntaxat illius nævos, quibus quivis ob humanam fragilitatem obnoxius est, palam facere studui: cum vero & me ab omni nævo haud immunem scirem, hinc allatis saniorum historicorum testimoniis critico lectorum judicio perpendendum relinquebam, quid tandem credere, vel rejicere oporteret: porro id cum facerem, blandiebar mihi, solertis Critici partes pro munere mihi imposito adimplesse, cum ipsosmet, ex quibus Continuator suam histo-

b 2

riam

riam concinnabat, fontes adirem, & facta cum textu collatione subjicerem, quæ ex humanæ imbecillitatis vitio, & cæco privatæ opinioni adhærendi studio aut minus bene perpensa, intellectaque, vel in partem sinistram versa, aut truncate ab eo relata putabam. Quid ergo est, cur de meis notis queratur doctissimus hic Criticus, cui nullatenus incognitam esse credo illam, primamque artis criticæ regulam, quæ prohibet, ne quis scribat ea tantum, quæ putat cedere in depressionem illius, quem odio, aut minori affectu prosequitur: immerito igitur ipse, cum Continuatore suo affectui magis indulgentem, factaque Pontificum, quos plerique A catholici odio plusquam Vatiniano abominantur, liberius increpantem videret, ipsius ausus tanquam nobiliorem sentiendi rationem deprædicat, meam vero judicandi rationem aspernari videtur ea ex causa, quod ex historicis meliori in judicando prudentia claris, proin & majore fide dignis recensuerim ea, quæ in Pontificum, aliorumque favorem salva veritate cedere existimabam: videat jam Orbis literarius, simulque perpendat, quale judicium de spiritu, quo meas annotationes conscripsi, ferre possit noster Censor, a quo eruditi Critici laudes abs dubio emendicassent, si & ego ad Continuatoris exemplum, quando privatum id suadebat commodum, injurioso in Sacram Sedem calamo

calamo usus fuiffem, & humanos, eosque non adeo graves Pontificum nævos exaggeraffem, meque Protestantium opinionibus propenfum exhibuiffem, & non raro cum lupis ululaffem: aft præ omni laude, quam per proditam hiftoriæ fidem promereri potuiffem, potior mihi eft veritatis amor; hanc enim ut huic operi redderem, & literato orbi diffipatis Continuatoris faltem quarumdã falitatem nebulis manifefstarem, unicus fuit fcopus mearum annotationum: hoc fpiritu animatus ea, quæ ex peffimæ notæ Scriptoribus Niemo, Sleidano, Sarpio, aliisque Continuator decerpfit, ex probatæ fidei Authoribus, quos vix non femper propriis verbis allegavi, meisque oculis fedulo pervolvi, emendare conatus fum: hac fentiendi ratione imbutus ea, quæ Continuator ex ingenito quafi odio, minusque ordinato affectu erga Auguftiffimam Domum Auftriacam effutiit, refellere, ac referre ftudui, prout eadem narrant hiftorici a partium ftudio alieni: interim parum anxius eram, quo animo meos labores fufciperent præcipue ejusmodi homines, quibus bene judicandi fagacitatem præripit inordinatus affectus, quo infectantur omnium Catholicorum opera, præfertim tunc, cum in his declaratur genuina veritas, & manifefstantur illorum fraudes, & technæ, quibus incautis illudere nituntur, & fenfim in Catholicæ

Ecclesiæ Præsules odium, ac demum erga ipsam Religionem nauseam rudibus, atque incautis instillare satagunt.

§. III.

Primum Specimen circa Sententiam Ecclesiæ Gallicanæ.

Meam a nobili Continuatoris animo diversam sentiendi rationem in meis annotationibus manifestatam, illiusque primum Specimen Criticus noster his verbis exhibet: Der französische Fortsetzer vertheidigt bey Gelegenheit des berühmten Canons der 4ten Sitzung der Kostnizischen Kirchenversammlung die Unterwürfigkeit des Pabsts unter die Concilia, als ein Glied der Gallikanischen Kirche. Hæc critici verba ad latinum idioma ita transferri queunt: *Gallicus Continuator, arrepta occasione ex celebri Constantiensis Synodi Canone Sessionis quartæ, tanquam Ecclesiæ Gallicanæ membrum propugnat, Papam Concilio esse subiectum.* In Ecclesiasticæ historiæ monumentis omnino peregrinum esse oportet illum, qui Ecclesiæ Gallicanæ Sententiam, quæ Summum Pontificem Concilio subjicit, novissimis primum abhinc temporibus invaluisse ignoret; longe enim aliter ante Concilia Constantiense, & Basileense Clerus Gallicanus etiam a temporibus Apostolorum ætati vicinioribus sentiebat, prout cuilibet perspicere datur, qui antiqua Gallorum monumenta, ac gesta hanc in rem seriatim, & non præoccupata mente

mente pervolverit; quippe ante deplorandum illud Sæculi XIV. schisma nullus Sanctus Pater, nulla Ecclesia, nullum Concilium, vel Oecumenicum, vel particulare, nullus Theologus, Auctorque vere Catholicus reperiebatur, qui Romanum Pontificem Concilio inferiorem asserere ausus fuisset: solus erat rebellis, ac schismaticus Gerbertus Rhemensis, qui ex proprii commodi studio ceteris Præsulibus, Synodi iudicium a Papa rescindi non posse, persuadere nitebatur: hic autem ipse obtenta Sede sua facti pœnitens sese Sacræ Sedi devovit: unde Centuriatores Magdeburgenses ex hoc exemplo velut aranæ perperam venenum suum suxerunt, dum ex unius, alteriusve, qualis erat pariter Erchembaldus Turonensis, rebellionem Apostolicæ Sedi obsequium jure denegatum inferre moliuntur: alius longe sensus erat Franciæ Præsulibus, qui Gerberti, aliorumque seditiosorum instigationibus adeo non cedebant, ut uno ore usque ad annum Christi millesimum sexcentessimum octogesimum primum in Comitibus Lutetiæ Parisiorum habitis profiterentur, *certum esse juxta omnium sæculorum traditionem consensum Episcoporum primæ Sedis iudicio simul esse actum obedientiæ erga Sanctam Sedem, & actum auctoritatis, & iudicii sub principali ejusdem Saeræ Sedis auctoritate.*

Notum etiam est omnibus, quod nequidem post Constantiense, & Basileense Concilium nova Sententia de Concilii Superioritate in Galliis communi suffragio fuerit recepta, cum Episcopi antiquam suæ Ecclesiæ, ac Majorum suorum doctrinam abjicere, ac nonnisi a paucis Theologis ceteris numero, ac dignitate longe inferioribus non ita pridem inventam opinionem retro antiquitati incognitam adoptare erubuerint: primum autem anno sequenti millesimo sexcentesimo octogesimo secundo Cleri Gallicani declaratio innotuit, qua recens nata hæc proles pro legitima habebatur, atque a Bossuetio, & Turnelio speciosa veste induebatur, quæ per tot retro sæcula latuit incognita, atque in suis etiam incunabulis nequidem vagire audebat; qua enim ratione univèrsim asseri potest, Gallicanam Ecclesiam propugnasse, quod *Romanus Pontifex, & Concilio subdatur, eique sit inferior, nec non in fidei, morumque questionibus definiendis errori sit obnoxius*, proin a Synodo reformari queat, cum tamen jam Sæculo II. S. Irenæus Lugdunensis Episcopus l. 3. adversus hæres. c. 3. ex continuata Summorum Pontificem successione incorruptam fidei doctrinam, atque unicam Sedem Apostolicam conveniendi necessitatem ceteris omnibus Ecclesiis incumbere deducat, seu quod idem est, ex Pontificis infallibilitate infallibilem fidei certitudinem inferat:

inferat: cui consonat alter Lugdunensis Antistes Sanctus Eucherius, vel quicumque alius Franciæ Episcopus author sit sermonis de Nat. SS. Petri, & Pauli, qui cunctos Petro, ejusque Successoribus esse subjectos affirmat, quia ipse *Pastorum, omniumque Pastor est, qui pascit agnos, pascit & oves: pascit filios, pascit & Matres: regit & subditos & Prælatos:* ex his infert Sanctus hic Præsul, quod omnibus præsit, cum nihil præter agnos, & oves in Ecclesia sit. Anno etiam 449. tres Gallicani Antistites ex Provincia Alpium maritimarum de S. Leone Papa affirmabant, quod *in eo Principatus Sedis Apostolicæ sit constitutus, unde Apostolici Spiritus oracula adhucdum referantur:* Apostolica autem oracula haud dices, quæ errori sunt obnoxia, ac primum ab alio emendanda. Nec Ecclesiis omnibus inferius caput dixeris, ubi Provinciæ Arelatensis Episcopi anno 450. profitentur, quod *per Divum Petrum Ecclesia Romana teneat super omnes totius mundi Ecclesias Principatum.* Profecto Arelatensibus Episcopis non ea infedit opinio, quod Synodi Pontifice Superiores sint, cum ineunte Sæculo VI. testentur, quod *Apostolica Sedes sibi vindicet Principatum, & SYNODALIBUS DECRETIS FIRMIOR EJUS PRÆCELLAT AUCTORITAS.* (a) Pariter

b 5

San-

(a) Vid. libell. S, Symmacho Pontifici oblatum
ab

Sanctus Cæsarius Arelatensis Episcopus summam S. Symmachi Pontificis auctoritatem fallibilem, ac reformationi obnoxiam certe non agnovit, dum ait: *Sicut a Persona D. Petri Episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis Ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat, eademque ætate Gallorum Præsulum nomine Avitus Viennensis de summo Pontifice declarat, quod nulla ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur, & in Sacerdotibus ceteris possit quidem, si quid mutaverit, reformari, si vero Papa in dubium vocetur, Episcopatus, non Episcopus vacillare videatur. Quis Sacerdotum, exclamant Turonensis II. Concilii Patres anno 570., contra decreta, quæ a Sede Apostolica processerunt, agere præsumat. Certe Hincmarus Rhemensis Antistes Sæculo IX. solam Romanam Ecclesiam piis devotis, atque Catholicis pro doctrinæ norma sufficere non docuisset, si illa errare posset, sique, ne erret, cum ceteris Ecclesiis in Concilio unita esse deberet: minus vero dixisset idem Hincmarus (b) *Scimus nostras Ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ, & nos Episcopos in Primatu D. Petri subiectos esse Romano Pontifici,**

ab Ægidio Abbate & Messiano Notario de privil. Ecclesiæ Arelat. apud Labb. tom. 4. edit. Paris. anno 1671.

(b) Epistola Hincmari ad Nicolaum Papam apud Flodoardum l. 3. c. 13.

tifici, & ob id salvā fide, quæ in illa Ecclesia semper viguit, & Domino cooperante florebit, nobis est vestræ Apostolicæ auctoritati obediendum. Hic idem in libro de divortio Lotharii ait: *Synodus Provincialis Episcoporum judicia, Generalis autem Synodus Comprovincialium dijudicationes, Sedes vero Apostolica simul, & Comprovincialium & Generalium judicia retractat, refricat, & confirmat: Ea igitur ætate in Galliis non alia audiebatur vox, quam quæ Pontificem, Sedemque Apostolicam regulam universam, Matrem, ac Magistram, columnam, firmamentum veritatis, supremum totius Ecclesiæ caput, Patrem, & Pastorem (c) deprædicabat, eumque (ut Episcopi Senonensis Provinciæ Sæculo XII. profitebantur) a nemine posse judicari, soliusque Dei iudicio subjacere declarabat. Nonne in Concilio Rhemenfi anno 1049. præsidente Sancto Leone IX. Gallicani Præsules testatum voluere, solum Romanæ Sedis Pontificem universalis Ecclesiæ Primatem esse, & Apostolicum? nonne ipsis etiam laicis adhucdum anno 1305. in Galliis ignota erat artificiosa illa vox, qua Concilia universalia, ut Pontificibus Superiora crederentur, Ecclesiam universalem repræsentare etiam, dum de Papa iudicando, vel reformando agitur, jactitantur; Regni enim Gallici proceres jam dudum palam*

(c) Convent. Melod. ann. 1479. Stephanus Paris. Episc. ann. 1324.

palam declarabant, quod *Summus Pontifex sit Jesu Christi Vicarius totum Corpus Ecclesie repræsentans*, unde congregatum totum Concilium sine Papa non potest cognoscere in negotio contra Papam (d) Hanc Sententiam omnium assensu, ac nemine contradicente publice etiam propugnabat Clemens VI. natione Gallus, ac Parisiensis Doctor, qui Armenis, si Romanæ Ecclesiæ aggregari vellent, sequentem articulum subscribendum proposuit: *an credant, quod sit, & erit semper auctoritas, & juridica potestas Romanorum Pontificum, ut a nemine judicari possint?* Eadem hæc sententia continuato veritatis studio in Ecclesia Gallicana ad recentiora usque tempora fuit propagata; quippe anno 1579. Clerus Gallicanus in comitiis Generalibus Meloduni celebratis cum Sancto Irenæo Romanam Ecclesiam Magistram, columnam, & firmitatem veritatis profitebatur, atque ad eam propter suam **PRINCIPALITATEM** necessum esse declarabat, omnem convenire Ecclesiam. Idem quoque Clerus anno 1626. statuebat, hortandos Episcopos, ut Sedem observent Apostolicam, Ecclesiamque Romanam, **INFALLIBILI** Dei promissione fundatam Petro cum clavibus datam **INFALLIBILITATEM** fidei, quam videmus divince Potentiæ miraculo **IN PETRI SUCCESSORIBUS** ad hodiernum usque diem

(d) Histoire du different entre Bonifac. VIII. & Philippe Roi de France.

diem immobilem permanere: nonne hi Præfules Summo Pontifici primas, potioresque supra Concilium partes hac declaratione afferebant? nonne idem studium præferunt in suis Generalibus comitiis anno 1651., dum in sua ad Innocentium X. epistola, cui 85. Episcopi subscripsere, præter alia pro Pontificis Superioritate præclare dicta concludunt: scimus, ubi caput Ecclesie, ibi totius fidei arcem esse: anno autem 1653. de novo ad eundem Papam triginta Episcopi Galli hæc perscripserunt: Potestas Romani Pontificis sola acerrimas fidei contentiones compescere potuit. Item: judicia pro sancienda regula fidei a Summis Pontificibus lata SUPER EPISCOPORUM CONSULTATIONE divina æque, ac humana per universam Ecclesiam auctoritate nituntur. Hujus quoque doctrinæ Gallicanus Clerus firmiter in suis generalibus comitiis adhuc institit anno 1661., 1663. & ut supra meminimus anno 1681. Vide Dominicum a SS. Trinitate Carmelitam excalceatum Ordinis sui Generalem, natione Gallum in sua doctissima Bibliotheca l. 3. sect. 4. c. 16. Plura equidem hujus veritatis testimonia afferri possent: cum autem mihi præcipue res sit cum Viro erudito, haud dubito, quin ipsius horum, quæ in medium attuli, firmitatem, necnon ex adverso illorum, quibus oppositæ sententiæ Patroni hæc argumenta eludere nituntur, effugiorum imbe-

imbecillitatem ingenii sui acie penetrarit, quinimo tot Gallicos avitæ hujus doctrinæ testes adducere superfedissem, nisi ab erudito meo Censore provocatus omnibus tam doctis, quam minus eruditis, imo quibusdam etiam incautis Lectoribus debitor factus fuisset; cum enim nonnisi interpretem, ac quarumdam, quibus Continuato-
ris historia est obnoxia, hallucinationum, atque excessuum castigatorem agere jussus essem, hujus instituti ratio haud deponere videbatur, ut prolixiori calamo, crebrisque argumentis veterem de Pontificis auctoritate doctrinam contra novam Gallorum sententiam propugnarem: ne vero perlectis Critici nostri pagellis nonnulli in rebus historicis minus versati existiment, hanc opinionem ab universa passim Ecclesia Gallicana fuisse adoptatam, ac proin me in meis annotationibus immerito adversus eam nonnulla retulisse redarguant, hinc nonnihil operosius rem pertractare conatus sum, demonstrans, quod universa Ecclesia Gallicana usque ad Constantiense Concilium non aliam hac in re sententiam tenuerit, quam quæ unanimes Ecclesiæ Catholicæ consensu, saltem tanquam conclusio ex certis fidei principiis eruta, fuit usque ad præsens ævum adoptata: quod autem adversa hæc opinio prima sua incunabula fatali Ecclesiæ Schismati, Gersonii Cancellarii Parisiensis invento, & novitatis studio
quo-

quorundam Præfulum Gallorum in acceptis referre teneatur, abs dubio eruditus meus censor pro sua modestia haud inficiari audebit, nec ego contrarium ob conceptam de eo Historicæ Scientiæ opinionem de ipso præsumere cogito; quippe antequam ab infernali hoste funestum hoc Schisma fuerat suscitatum, quænam fuerit Ecclesiæ Gallicanæ mens, adeo certe ex allatis constat testimoniis, ut, etsi ea quocunque demum artificio eludantur, certum tamen, indubitatumque semper sit, quod nullum omnino adduci possit testimonium, ex quo clare demonstraretur, ante hanc ætatem ab Ecclesia Gallicana unanimi consensu fuisse traditum: *quod Papa in rebus fidei, morumque quæstionibus definiendis errori sit obnoxius, ac Concilio subdatur, eoque sit inferior.* Habemus ergo novi hujus partus epocham: quis vero prudenter dubitare poterit, hanc ipsam prolem illegitimis hisce natalibus suspectam ab ipso Gersonio orbi Christiano fuisse obtrusam: Id quoque disertis verbis testatur Ludovicus Maimburgus Auctor meo Censori certe non suspectus, qui lib. 5. Magni Schism. Occid. ita scribit: *En! occasio* (scilicet utraque Gersonii Oratio, quæ teste ipso Continuatore nostro Lib. Cii. §. 164. hujus controversiæ cum tanta animorum contentione agitatae origo erat) *unde ortum habuit famosa hæc quæstio, de qua nunquam in antiqua*
disca-

disceptatum est Ecclesia, an nempe Concilium Papæ superstet, vel potius Papa Concilio. Idem quoque Auctor Lib. cit. pag. 439. subjungit: ab annis nongentis Ecclesie Gallicanæ hæc Sententia fuit, ut excepto hæresis casu a nullo homine, nulloque Concilio, sed a solo Deo judicari Pontifex Romanus, deponique posset. Nec id diffitetur Jacobus Lenfantius Calvinista L. 2. Hist. Conc. Const. n. 2. apertis autem verbis idem testatur ipse Gersonius de potest. Eccles. confid. 12. ubi ait: ante celebrationem Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum Literatorum ipsa hæc traditio, ut oppositorum dogmatizator fuisset hæretica pravitate vel notatus, vel damnatus. Clarioribus verbis idem profitetur Andreas Duvallius in tract. de suprema Rom. Pontif. potestate, ubi ait: velint, nolint adversarii, liquido constat, veteres Ecclesie Gallicanæ Proceres hanc in Summis Pontificibus Petri Successoribus infallibilitatem semper agnovisse, Christique Domini orationem in Petro non stetitisse, sed ad ejus Successores certissime transfuisse, eosque, qui hanc veritatem impugnare conati sunt, A DUCENTIS AUT CIRCITER ANNIS, QUIBUS IN ECCLESIAM HORRENDA SCHISMATA IRRUERUNT, cœpisse. Attamen nec ipse Gersonius sua facundia tantum impetrare poterat, ut in ejus Sententiam ipsi etiam Galli communi suffragio ruerent: eapropter ipsemet variis in locis, ac præcipue in tractatu
de

de potestate Eccles. Confid. 12. & Serm. in festo S. Antonii factus est, atque ingemuit, quod *decretorum IV. & V. Sessionis doctrina a quam plurimis palam in ipsa etiam Synodo fuerit explosa, atque exsufflata, nec non post Concilium Constantiense ceu hæretica pravitate inquinati a non paucis haberentur illi, qui Concilium supra Papam efferebant: insuper in Dialog. Apolog.: per Constitutionem Martini V. quia appellationes a Papa ad Concilium prohibuit, fundamentale robur decretorum Sessionis IV. & V. penitus destruidoluit: merito autem de novæ suæ doctrinæ successu diffidere poterat Gersonius, cum illam ipse non veritatis fulcro innixam agnovisse videatur, sed unice ad hoc aptam crederet, ut quibusdam suæ gentis viris nimio amore, ac tenaciori propriæ jurisdictionis plus æquo tuendæ studio abreptis, aliquando obedientiam Pontificibus debitam eludendi via aperiretur: quod vero de hujus medi, quo sensim perversa libertas induceretur, æquitate juxta, ac veritate minus persuasus esset, manifestum redditur ex ipsa ejus inconstantia, & fluctuatione, qua suæ causæ diffusus, parumque securus talia subinde statuebat principia, quibus novitiam suam opinionem, quam in uno loco stabilire nitebatur, in alio penitus evertibat; quippe, licet Pisanum Concilium velut lapis fundamentalis esset decisionis a Constantiensi Synodo factæ, nihilo-*

minus 1. part. oper. de hujus Synodi auctoritate dubitabat: insuper Pontificiam auctoritatem Synodo subicere, ipsumque Papam in rebus fidei Concilio obedire obstrictum, eumque a Synodo reformari posse acriter propugnat, & tamen tanquam rem minime dubiam statuit pag. 125. & 126. tom. 1. quod *Plenitudo potestatis non possit esse de lege ordinata, nisi in unico summo Pontifice, alioquin Ecclesiasticum regimen non esset Monarchicum*: si juxta ejus doctrinam Papa in rebus fidei, morumque Synodo obedire tenetur, ac corrigi potest, qua ratione Gersonius serm. de Ascens. Domini asserere audet, quod *ab Ecclesia Romana fidei certitudo petenda sit*: si Gersonii Sententia Papam in fide fallibilem statuit, quare illum esse Monarcham supremum *ratione unitatis fidei, & Sacramentorum* asserit? tract. de Stat. Eccles. confid. 13. Plane Gersonius suas hallucinationes ipse deprehendisse videtur, dum in oratione, quam paulo post Joannis XXIII. fugam habuit, postquam Pontificem infra Concilii universam Ecclesiam repræsentantis subsellia detruferat, mox immoderatam suam propositionem certe sibi ipsi repugnantem sequentibus hisce duobus corollariis circumscribebat. 1. Ex præmissis, inquit, videtur elici posse, quod *potestas Papæ sit potestas Ecclesiæ (quæ in Synodo congregata est Superior Pontifice, proin potestas Papæ est inferior potestate Ecclesiæ, & SIMUL*

SIMUL SUPERIOR) quia utitur nomine, & vice Ecclesiæ. 2. Elicitur ex præmissis, quod non est illicitum, imo verum, & Catholicum, quod *IN MULTIS* sit Sacrum Concilium supra Papam. Ita nempe juvenes Architecti, dum vilipensis veteris artis suæ regulis, nova, splendidaque ædificia juxta luxuriantis sui ingenii ideas in chartis delineare moliuntur, plerumque, dum fabricam ipsam inchoare aggrediuntur, se ob neglecta vetera licet, firma tamen artis præcepta enormiter errasse deprehendunt, & dum errores suos corrigere nituntur, male coordinatum ædificium extruunt: nec mirum est, Gersonium quoque in novæ suæ opinionis fabrica tam turpiter hallucinasse, dum neglectis sanæ, atque avitæ doctrinæ præceptis, quæ tamen fidei fundamentum sunt, novis opinionibus, ausim dicere, erroribus fabricam suam imposuerat: nonne præcepta Ecclesiæ non obligare sub mortali, sed duntaxat adhortationes, & consilia esse docuit, ut testatur Vander Hardt. tom. 1. Collect. & tom. 2. oper. edit. Amstelod. Quis enumerare poterit omnes ejus errores Wiclefi, aliorumque Sæculi XVI. Sectariorum dogmatibus haud absimiles, quos in suo tractatu *de mediis reformandi Ecclesiam in Concilio* passim effutiit contra Ecclesiam, quam cap. 1. & 2. Catholicam ab Apostolica distinguens, hanc a quibuscunque promiscui generis Laicis sub solo capite Christo coalescere,

lescere, solam potestate ligandi &c. frui, ac fallere, fallique nesciam tradit, illam vero, seu Apostolicam ex Ecclesiasticis compaginatam errare posse, Schisma, & hæresim habere, ac deficere posse comminiscitur. cap. 21. Ecclesiam universalem in unica sola fœmina subsistere posse ait: cap. 7. peccati lethalis reos nec in Ecclesia, nec de Ecclesia esse concludit. cap. 29. clavem Scientiæ Pontifici magis esse necessariam docet, quam clavem potestatis, hancque nonnisi probis viris competere posse: quis Catholicum credat Gersonium, dum illum effutire percipit, quod *ridiculum sit dicere, quod unus homo mortalis dicat se potestatem habere in cælo, & in terra ligandi, & quod ille sit filius perditionis.* cap. 5. & 10. Hosce errores, pluresque alios circa morum disciplinam traditos, propter quos Gersonius a pluribus etiam Gallis Doctoribus passim perstringitur, referre volui, ut exinde pateat, quod sane dignus non fuerit, ut universa Ecclesia Gallicana arrectas ei intenderet aures, unde nova hujus Viri doctrina etiam post Constantiense Concilium a pluribus Gallis nonnisi cum timore, & anxietate fuit adoptata, a potissimis vero omnino rejecta, adeo, ut universam Ecclesiam Gallicanam in hanc opinionem concessisse nullo pacto dici queat; *cujus rei, ut ait ipse Gersonius de potest: Eccles. confid. 12. signum accipe, quia post declarationem, & quod urgentius*

gentius est, determinationem, & practicatio-
nem ejusmodi S. Synodi inveniuntur, qui talia
sc. Papam Concilio esse superiorem, passim
asserere non paveant. Petrus quoque Mel-
densis Episcopus anno 1441. die 16. De-
cembris Caroli VII. Francorum Regis, ac
Gallicanæ Ecclesiæ nomine orationem ha-
buit, in qua Basileensium ausus his verbis
reprobat: *ad hanc vesaniam devenerant, quod
supremam potestatem in uno supposito consistere
denegent, sed eam in multitudine, quæ cito in
diversa scinditur, collocent, & sic pulcherri-
mam Monarchiam, quæ Christianos hucusque
tenuit in unitate fidei, nunc suppressere contem-
dant, nobilissimam politiam, quæ beatitudinem
cælestem habet pro fine, ad Democratiam, vel
Aristocratiam redigentes.* Nonne Franciscus
Lugdunensis, Joannes Arelatensis, alique
Franciæ Antistites Gallicanæ Ecclesiæ no-
mine ad Leonis X. Papæ pedes provoluti
veniam deprecabantur, eoquod Pisanæ
Pseudo-Synodo aliquando adhæsissent (e)
nonne Franciscus Turnonius Cardinalis to-
tius Gallici Cleri nomine supremam Ponti-
ficis auctoritatem in Conventu Melodu-
nensi anno 1544. tam strenue tuebatur, ut
a Paulo III. literis ad eum præfato anno
die 6. Aprilis datis, laudibus cumulari me-
ruerit. Nec minus præclare Gallicana Ec-
clesia in Episcoporum Comitibus anno 1548.

c 3

die

(e) Raynald. ad ann. 1514. n. 7. & seq.

die 29. Septembris apud Nolium jussu Regis Henrici III. habitis profitebatur, quod ex conjunctione Concilii cum Pontifice tanquam corporis cum capite, & *Pontificis summi, & Concilii una sit, atque eadem auctoritas, veterumque Pontificum, ac veterum Conciliorum ne dissimilis, ne dispar, salva subordinatione corporis ad Caput.* (f) Ipsa etiam Parisiensis Universitas anno 1396. profitebatur, *certum esse, Episcopum Romanum non habere Superiorem, cum Christus non habuerit, & Ecclesiam Catholicam a se fundatam Petro tanquam Capiti tradiderit gubernandam.* (g) Taceo plurima monumenta, quæ aperte testantur Francorum Præsulorum, atque Universitatum subjectionem, qua sententias a se latas Summorum Pontificum judicio submiserunt, eumque tanquam supremum, ac visibile omnium Ecclesiarum caput, Monarcham, & fidei infallibilitatis petram agnoverunt, uti jam supra retulimus, ac Andreas Duvallius circa annum Domini 1686. l. c. part. 1. q. 7, priscam de Pontificis auctoritate doctrinam adhucdum in Francia vigere testabatur: *opinio, quæ Romæ tenetur, vacat omni temeritate, cum totus orbis, exceptis pauculis Doctoribus, eam amplectatur, & præterea rationibus validissimis tum ex S. Scriptura, Conciliis, & Patribus,*
tum

(f) Idem ad ann. 1548. n. 73.

(g) Hist. Un. Paris. tom. 4. p. 805.

tum ex principiis Theologicis petitis confirmatur Nemo nunc est in Ecclesia, qui ita pro certo sentiat, præter Vigorium, & Richerium, quorum si vera esset sententia, totus fere Orbis Christianus, qui contrarium sentit, in fide turpiter erraret. p. 4. q. 7. Eapropter Germani, Polonique Doctores, qui fervente Constantiensi tumultu novam hanc doctrinam ambabus ulnis amplectebantur, paulo post dum se a Gersonio, ejusque affectis delusos fuisse agnoscerent, ad tritam veritatis semitam rediere, quinimo ipsa Constantiensis Concilii ætate Gersonius Gallorum potissimos ad suas partes pertrahere haud poterat: quapropter Eugenius IV. in sua Apologia adversus Basileenses ita scripsit: *qui Constantiæ sedebant, unius tantum obedientiæ Synodum faciebant, nec tamen hi omnes in eam sententiam convenerunt, sed nonnulli reclamavere graviores, quos inter erant præter viginti duos Cardinales etiam Regis Galliæ Oratores, qui Joannis XXIII. causam pro viribus tueri a suo Rege erant jussi, adeo, ut idem Rex hujus Papæ depositionem ab Universitate Parisiensi promotum iri inaudiens, Ludovico Franciæ Delphino demandarit, ut Doctores Parisienses hanc obrem acriter objurgaret, qui eos his quoque verbis compellabat: *Ecquis eam vobis licentiam dedit, ut auderitis in Pontificem Romanum manus injicere, eique dignitatem, ac Insulas adimere, quod nuper Constantiæ fecistis?**

Insuper veræ doctrinæ Successionem in Galliis interruptam non dixeris per declarationem in Cleri Gallicani Comitibus anno 1682. celebratis; post eam enim adhuc dum haud alia, quam quæ jam pridem Gallicanæ Ecclesiæ cum ceteris Catholicis propria fuerat, de Papæ prærogativis infedit persuasio; quippe præclara admodum continuatæ hujus doctrinæ testimonia suppeditant varii libri in Galliis postea editi, uti sunt opuscula his titulis Gallicis inscripta: *Tocsins Catholiques*, *Recueil des mandemens des Eveques*, & *Memoire du Clergé* anno 1716. edit Paris. Quinimo quantum illorum Præsulum, qui anno 1682. suam declarationem ediderant, animis alte adhuc inhæserit adversa opinio, sat manifeste elucet ex eo, quod valde dubitanter, ac perplexe novam suam doctrinam exponerent, atque ob communis Sententiæ reverentiam, & veritatis agnitæ vim aperte declarare haud auderent, quod Romanus Pontifex in rebus fidei Concilio subjaceat, ac corrigi valeat: quapropter eidem adhuc *PRÆCIPUAS* in rebus fidei partes adjudicabant, ejusque decreta *AD OMNES*, & *ad singulas Ecclesias* pertinere assererent, quamvis hæc loquendi ratio sibimetipsi haud consonet; qua enim ratione *præcipuas* habebit partes, si tam ejus auctoritas, quam illius judicium æque, ac cujuslibet Episcopi decretum corrigi, supprimi, aut rejici

rejici potest. Ceterum licet Gallicani hi Præfules re ipsa Pontificem Concilio subjecissent, hæc tamen ipsa declaratio avitæ, ac communi doctrinæ in Galliis receptæ nihil derogare poterat; illa enim nequaquam universæ Ecclesiæ Gallicanæ definitio dici meretur, cum ex centum, & triginta Franciæ Episcopis non nisi triginta quatuor accesserint, ceteris aut non vocatis, aut de doctrina judicandi, ac definiendi auctoritate destitutis; quinimo iidem etiam, qui hisce Comitibus intererant, postea ad Sedes Episcopales nominati dato supplici libello anno 1692 palam profitebantur, se de gestis in Cleri Gallicani conventu 1682. *vehementer quidem, & supra id, quod dici potest, ex corde dolere*, cunctaque in Papæ præjudicium decreta tanquam irrita declarare, spondentes, se impostero omni possibili modo summi Pontificis prærogativas defensores. Insuper ipsemet Franciæ Rex haud contentus, ut per suos Oratores Cæsarem Destræum, & Tuffanum Janson de Forbin hanc excusationem fecisset, ipse etiam postea ad Innocentium XII. Papam sequentem dedit epistolam: „Gaudeo, quod Sanctitatem Vestram certiozem reddere valeam, quatenus necessaria dederim mandata, ut res in meo edicto die 23. Martii anno 1682. contentæ circa declarationem Cleri intra meum Regnum (quamvis tum rerum vicissitudines me ad id addege-

„rint) suo successu destituantur, & sicuti
 „non solum exopto, ut Sanctitati suæ mei
 „animi sensa sint perspecta, sed etiam ut
 „universo Orbi publico testimonio inno-
 „tescat, quanti præclaras ejusdem præro-
 „gativas habeam, haud dubito, quin vi-
 „cissim Sanctitas vestra omnibus argumen-
 „tis, ac paterni sui erga me affectus testifi-
 „cationibus meo obsequendi studio respon-
 „dere velit., (h) Taceo hanc ipsam Gal-
 licani Cleri declarationem primo ab Inno-
 centio XI. Pontifice Sanctissimo eodem anno
 1682. die 11. Aprilis, & postea ab Alexan-
 dro VIII. anno 1690. die 4. Augusti fuisse
 reprobata, ac penitus rescissam. Pari-
 ter sub Innocentio XII., postquam hujus
 Papæ decretum anno 1699. die 15. Martii
 contra librum D. de Fenelon Cameracensis
 Archiepiscopi prodierat, Clerus Gallica-
 nus in cœtum congregatus per unamquam-
 que Provinciam, ut constat ex processu,
 ut ajunt, verbali, cœtum præsertim Pro-
 vinciarum Parisiensis, Arelatensis, Bituni-
 censis, ac Rhemensis non exquisito prius,
 nec convocato Episcoporum consilio, huic
 Pontificis decreto ultro acquievit, illud-
 que recepit, utpote positum extra omne
 erro-

(h) Hyacinth. Sery. *de Rom. Pontif.* p. 266.
 & 267. item in quodam opusculo Venetiis anno
 1734. impresso, cui Titulus: *Romani Pontificis*
Privilegia pag. 378. Vide Binner. in *Apparat. eru-*
dition. part. VIII. p. 703.

erroris periculum: unde præcipue Episcopi Provinciæ Rhemenfis ita effati sunt: *Certum est juxta omnium Sæculorum traditionem Consensum Episcoporum primæ Sedis judicio simul esse actum obedientiæ erga Sanctam sedem, & actum auctoritatis, & judicii sub principali ejusdem Sedis auctoritate.* Pariter cum Clerus Gallicanus anno 1705. in caussa Bullæ, quæ incipit: *vineam Domini Sabaoth*, declarasset, quod Pontificum Constitutiones universam Ecclesiam obstringerent, si a Pastorum cœtu fuissent acceptatæ, atque hæc acceptatio per viam judicii fieret, inde commotus Clemens XI. datis ad Ludovicum XIV. Regem literis de Franciæ Præsulibus querebatur, hinc Regis jussu Cardinalis de Noailles anno 1710. hanc Præfulum declarationem interpretabatur, palam professus, a Præsulibus hanc acceptationem nequaquam fuisse requisitam, perinde acsi ea ad constituendam fidei regulam esset necessaria, sed duntaxat, ut Jansenistis omne effugium præcluderetur. Haud minus aperte Clerus Gallicanus in Comitibus anno 1705. necnon 1713. die 15. Octobris celebratis suam erga Papam subjectionem testatam fecerat. Ex his igitur, pluribusque aliis, quæ huc fusius adducere supervacaneum foret, facile prudens Lector eruere poterit, quod Criticus noster nonnihil ineptius scripserit, a Fleurianæ Historiæ Continuatore Superioritatem Concilii

cilii supra Papam fuisse ex eo defensam, quod hic esset membrum Ecclesiæ Gallicanæ, perinde ac si omnia illius membra hanc sententiam propugnarent, aut propugnare tenerentur, cum tamen omnes Galli ante tempora Concilii Constantiensis cum ceteris Ecclesiis ejusdem fuerint labii, necnon durante etiam ipsa hac Synodo, & fervente Schismate non pauci, iique tam pietate, quam scientia celebriores avitas Pontificis prærogativas pro aris, & focus tuerentur, quinimo luculenta non defint monumenta, in quibus comprobatum redditur, quod sæpius post celebrem illam Cleri Gallicani declarationem anno 1682. factam calamo, & exemplo Pontificis auctoritati præcipuæ, ac ipso Concilio potiores partes in Francia fuerint attributæ.

§. IV.

De Schelstrato.

Ut vero notus hic Censor quicquam in meis ad Constantiensem Synodum animadversionibus carpere valeat, omnibus jam nota, minus vero valida a me producta fuisse comminiscitur dicens: *Man weiß, was insonderheit Schelstratten zum Behuf des Pabsts gegen diesen Canon gesagt, und wie er sonderlich gelaugnet, daß die Wort: ad reformationem in capite, & membris, sich in allen Abschriften finden.* Hæc verba latine ita reddi valent: *comperta habentur ea, quæ speciatim Schelstratus*

tus

tus adversus hunc Canonem in Pontificis favorem adduxerit, ac præcipue negaverit, quod hæc verba; ad reformationem in Capite, & membris, in omnibus Synodi exemplaribus reperiantur. Attamen nec ego, nec alius quiscunque historica eruditione vel leviter tinctus ignorat, quænam Schelstratus circa hunc Canonem scripserit, an autem hæc falso, vel vere sint ab eodem scripta, facile etiam prudens, ac præjudiciis non obcæcatus judicare poterit; nam Schelstratus id, quod asserit, etiam valide comprobavit, haud ejusmodi imitatus Scriptores, qui multa loquuntur, & nihil probant, quod tamen sine invidia nostri Critici dictum volo, licet nullo prorsus argumento probatum reddat, quod Schelstratus hæc verba in pluribus exemplaribus desiderari, falso asseruerit, aut quod ego eundem perperam adduxerim, aut improvide secutus fuerim. Verum firmo id argumento probari ab erudito Berolinensi Censore immerito peterem, cum illum haud adeo temerarium fore existimem, ut in asserti sui subsidium quædam confingere, vel imprudenter ea negare vellet, quæ tot Scriptores omni fide dignissimi, testesque oculati, & ferme coævi constanter affirmarunt: ipse autem haud ignorabit, quod Schelstratus, Vir integritate, atque eruditione clarissimus, nota hæc verba: *ad reformationem &c.* in novem M. SS. Codicibus a se visis non reperiri testetur, & quod

in editione Mediolanensi anno 1511. & Parisiensi anno 1524. opera Caroli Mer-
lini Parisini Doctoris impressa, ac Coloniae
Anno 1533. typo Quenteliano recusa præ-
fata verba delint: testantur etiam Labbæus
tom. 8. Concil. Harduinus tom. 7. pag. 251.
Schanat ad annum 1414. Sæc. XV. tom. V.
Conc. fol. 44. quod post factam maximam
diligentiam in conquirendis undequaque
actis Concilii Constantiensis, post Codices
Roma a Cardinale Barberino acceptos, post
examinatam editionem Hardtii in Germa-
nia ex manuscriptis Vindobonensis, &
Wolffenbutelensis Bibliothecarum adorna-
tam hæc verba non legantur: insuper teste
eodem Hardtio, seu Hermano Van der
Hardt tom. 4. part. 1. pag. 86. 87. & 89.
M. SS. Codices Gothanus, Brunvicensis, &
Lipsiensis quartæ Sessionis decretum abs-
que notis illis verbis recensent: paucis,
ante Basileensium compilationem, & Petri
Crabbe editionem Colonensem anno 1538.
factam in nullo Codice M. SS. hæc clau-
sula: *ad reformationem in Capite, & membris*
legitur, quinimo Labbæus quoque, ac Har-
duinus testantur, in quodam manuscripto
in margine hanc addi annotationem: *iste*
articulus imperfecte fuit factus, ut sequitur:
ideo suppletur in Sessione sequenti: ut proin verba
illa: ad reformationem &c. a Sessione IV. de-
lenda fuissent; quod enim perficitur, mu-
tari oportet de minus perfecto in magis
per-

perfectum, mutatum autem dici non posset in sequenti, seu quinta Sessione, si idem omnino, quod erat in quarta Sessione, in quinta poneretur. Insuper supervacaneum cenfeo ea repetere, quæ de Burneto in tom. I. meæ versionis fol. 485. adduxi, atque nostro Critico certe suspectæ fidei esse haud potuerunt; ex quibus tamen constat, quod etiam fidei nostræ hostis Schelstrati assertionem tanquam certam, veramque proprii oculi, ac solertis discussionis testimonio comprobata reddiderit, manifestumque fecerit, quod Schelstratus ea, quæ protulit, nequaquam pro suo arbitrio commentus fuerit, nec etiam authenticos hosce Codices in suis scriniis occultarit, sed cuilibet petenti eosdem palam exhibuerit, ut quivis de rei veritate ocularem notitiam haurire valeat: eapropter Maymburgus, qui nec etiam Berolinensi nostro Censori suspectus erit, in suo tract. histor. fol. 197., nec non ipsemet Fleurianæ historiæ Continuator Lib. 102. §. 175., pluresque alii historici hujus rei evidentia convicti minime negare audebant, quod in primis quatuor Concilii Constantiensis editionibus, nec non in pluribus aliis antiquissimis M. SS. huic Synodo coævis præfata verba desiderentur, nec etiam de fidelitate suspecti possunt esse Scriptores illi, qui tales M. SS. Codices posteris reliquere: nam hos inter erat Gobelinus Persona Billfeldiensis Decanus,

canus, Officialis, ac Rector Paderbornensis; hic testatur, quod opus suum sub Bonifacio IX. inchoaverit, & sub Martino Papa V. die 1. Mensis Junii anno 1418. regnante Sigismundo Romanorum, Teutonum, & Hungarorum Rege absolverit, proin hic Scriptor erat coævus, & si non omnino præsens, saltem Synodi loco proximus, qui ex pervetusto Codice hæc affert: *penultima die Martii, quæ fuit vigilia Paschæ, fuerunt pronuntiati quidam articuli per unum de Cardinalibus minus sufficienter* (quia omissa erant hæc verba: *ad reformationem &c.*) *quapropter sexta die Mensis Aprilis iidem articuli pronuntiati sunt reformati: Primus autem hic erat: Synodus &c.* ex quibus verbis evidenter ostenditur, hoc decretum in quarta Sessione absque hac clausula fuisse enuntiatum: quomodo enim reformatum, seu diversum in quinta Sessione dici posset, si unum, idemque decretum in utraque Sessione fuisset promulgatum? Gobelini autem fides eo minus suspecta haberi potest, cum is natione Germanus fuerit, quæ natio ad extinguendum Schisma unice intenta, & Sigismundi Regis sui monitis stimolata præsertim laborabat, ut articuli in illa Sessione promulgati conficerentur: præterea manuscriptum hunc Codicem, quem Gobelinus affert, Schelstratus dissert. 1. c. 2. p. 43. cum alio a se citato omnino convenire testatur. His merito accenseri possunt

Herma-

Hermanus von der Hardt, & Jacobus Enfantius, aliique. Ceterum imperfecta hæc decreti promulgatio facta fuit a Zabarella Cardinale Florentino, quia ipse probe conscius erat, quod paulo ante Sessionem Cardinales, Sigismundus Rex, & Principum Oratores convenerint, ut omitterentur Capitula a Cardinalibus impugnata, nempe articulus: *de reformanda Ecclesia in Capite, & membris*: nihilominus postmodum hæc verba in editionibus post Basileense Conciliabulum factis intrusa leguntur; id vero primo a Basileensibus studiose attentatum haud temeraria est suspicio; cum enim hi post Sessionem XXV. Concilii Constantiensis decreta a quibusdam deputatis extrahi, & conscribi juberent, hi Sessionis IV. & V. decreta depravarunt ad libitum illorum, qui tam nefanda in summos Pontifices attentabant; cum enim probe intelligerent, se ludibrio haberi ex eo, quod Felicem V. Sabaudicæ Ducem in locum Eugenii IV. quamvis is minime dubius, sed legitimus esset Pontifex, intrussissent, hinc ut se justa de causa, jurisque præsidio munitos id fecisse, vulgo persuaderent, ad Concilii Constantiensis decreta confugerunt, quoniam vero in quinta ejusdem Synodi Sessione, utpote in qua de Concilii Superioritate nihil *conciliariter*, sed penitus tumultuarie fuit actum, exiguum ipsis præsidium repositum esse cernerent, hinc

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

d statue-

statuerunt, ut per quosdam iniquæ factionis suæ socios hæc verba: *ad reformationem* &c. etiam quartæ Sessioni, in qua tamen antea non continebantur, infererentur; nam hæc Sessio nonnihil magis conciliariter fuit habita, majorisque fuit auctoritatis, hujusque Sessionis articuli, quos Florentinus Cardinalis promulgabat, tanquam absolutæ Concilii definitiones fanciebantur, econtra vero ea, quæ in Sessione quinta fuerant promulgata, duntaxat per modum *Constitutionum Synodaliū*, prout hujus Concilii acta loquuntur (i) promulgabantur, contra quas tamen Cardinales, Romanorum Rex, ac Franciæ Regis Oratores reclamaverunt, palam professi, quod ex sola *evitandi Schismatis, & scandali causa*, non animo *consentiendi* his, quæ audierant in hac Sessione statui debere, interfuerint, (k) imo etiam Cardinalis Florentinus hoc decretum promulgare renuit (quod certo non fecisset, si idem cum priori fuisset) sed Andreas Lascarus illud recitare compulsus fuerat: ex quibus clare patet, quod hoc decretum tot contradicentibus *conciliariter* factum non sit, præcipue cum Cardinales, pluresque alii Patres nonnisi per privatum aliorum rumorem ea, quæ definienda forent, perceperint, & *audierint*: hæc autem

(i) Harduin. loc. cit. fol. 258.

(k) Item fol. 262.

tem in Basileensium invidiam ultro a me asserta haud credas, Benevole Lector; quippe ex registro actorum Basileensium apud Schelstratum loc. cit. p. 44. hæc leguntur: *ob diversas opiniones de potestate Concilii Generalis in his, quæ pertinent ad reformationem Ecclesie, super prima definitione præscriptus, fuerat ommissus articulus de hoc faciens mentionem, & sequens, qui ex primo dependet.* Porro Basileenses, ut suæ fraudi quamdam conciliarent auctoritatem, vitiosam suam Concilii Constantiensis compilationem bulla sigillo cereo munita confirmarunt, adjectis hisce verbis: *decernimus, quatenus præfatis decretis fides plenaria adhibeatur, perinde ac si Bulla ejusdem Constantiensis Synodi bullata foret, nec ad illorum probationem aliud administrandum quomodolibet requiratur, datum Basileæ pridie nonas Februarii anno. 1442.* Propterea tamen efficere non poterant, quominus apud omnes in comperto esset, quod cunctæ editiones ante hanc adulteratam Basileensium compilationem hæc sæpius memorata verba non recenseant, claro indicio, ea primum a Basileensibus dolose fuisse intrusa. Ex his autem constat, quod Berolinensis Criticus perperam scripserit, quod Schelstratus in Pontificiæ auctoritatis favorem negaverit, hæc verba in quibusdam reperiri Codicibus; nam hic idem clarissimus vir hæc, quæ scripsit, non in Papæ favorem, sed in veritatis testimonium adduxit, prout

ex omnibus hucusque allegatis testibus, ac testimoniis elucet.

Nunc vero a Schelstrato Censor noster ad me transiens profequitur: der Pater Alexander, der glaubt, daß hierauf alles ankomme, meint die gallikanische Kirch widerlegt zu haben, wann er dargethan, daß die Wort sich wirklich in einige Handschriften des Vaticans nicht finden. Er führet zu dem Ende den Burnet an (der hier vermuthlich durch einen Druckfehler Brunet heißt) welchem Schelstratten einige Codices gewiesen, worinn diese Wort nicht stehen. Seu latine: *Pater Alexander, qui ab hoc totam rei controversæ summam dependere existimat, se quoque Gallicanam Ecclesiam refellisse putat, dummodo demonstratum eat, quod reipsa hæc verba in quibusdam Manuscriptis Vaticani Codicibus non reperiantur, huncque in finem allegat Burnetum (qui probabiliter typi errore ibidem Brunetus vocatur) cui Schelstratus quosdam Codices ostendit, in quibus hæc verba non continentur.*

Vehementer miror ingenii aciem, ac perspicaciam, quæ Censor noster se mea etiam animi sensa adeo exacte affecutum gloriatur, sua autem bona venia dixero, quod duplici errore deceptus hæc de me in sua crisi annotaverit; primo enim falsissimum est, quod *putaverim*, totam rem esse confectam, si ea, quæ Schelstratus negat, adduxero: secundo magis adhuc falsum est, me *existimasse*, quod Ecclesiam Gallicanam

canam confutarim, si re ipsa in quibusdam Codicibus nota verba deesse demonstravero. Vellem sane hunc virum vel in divinando magis cautum, magisque felicem, vel in arte critica magis versatum; qui enim de omnibus libris in tota ferme Europa editis criticum judicium ferendi provinciam sibi arrogat, haud ignorare deberet, quod illi, qui quoddam opus refellere aggrediuntur, præcipue illud argumentum impugnent, quod hujus operis Author maxime extollit, atque in eo totam suam vim reponit: cum ergo Fleurianæ Historiæ Continuator horum verborum fidem comprobare, eaque in quarta Sessione contenta fuisse, necnon per Schelstratum hujus Decreti auctoritatem non infringi, totis viribus demonstrare conaretur, hancque in rem integrum Paragraphum centesimum septuagesimum quintum, & octogesimum nonum conscripserit, hinc mearum partium unice fuit, ut sui argumenti ex his verbis petiti vim enervare, illiusque imbecillitatem demonstrare conarer: nunquam autem mea mens erat, prout tamen hic Censor nimis confidenter asserit, Gallicanæ Ecclesiæ sententiam refellendi illis, quos sibi hæc provincia deposceret, conatibus, ac studiis: meas autem annotationes ad præfatos paragraphos adjectas perlegenti patebit, quod hisce notis, ni fallor, sat validis ostenderit, Schelstrati argumentum, quod Continua-

tor non diluere, sed exhibere nititur, omnino firmissimum, juxta ac verissimum esse: in aliis vero notis ea, quæ vel dubiæ, aut omnino sublestæ fidei a Continuatore adducebantur, indicabam, ne minus versati Lectores sibi persuasum habeant, æternæ veritatis oracula esse ea omnia, quæ idem Continuator vel in favorem suæ Sententiæ, vel in odium summorum Pontificum liberius, quam verius scribit: perperam ergo de me in sua crisi sparsit Berolinensis hic Scriptor, mihi persuasum fuisse, quod fat a me confutata fuerit Ecclesia Gallicana, dummodo negarem, ea verba in quibusdam manuscriptis Codicibus reipsa non contineri: si ingenue contra me agere voluisset, potius quod falso allegarim hosce Codices, & Schelstratus, ac Burnetus ea, quæ ex ipsis attuli, non affirmarint, vel denique hi Codices fuerint adulterati, atque ego id turpiter ignorarim, vel nequiter dissimularim, ostendere, ac demonstrare debuisset: tum enim vero sanum egisset Criticum, ac luculento comprobasset specimine, quo Spiritu incitatus meas annotationes conscripserim, atque indomita criminandi libidine incensus calamum sæpius strinxerim: hæc autem cum de me nunquam probare poterit, ea, quæ mihi objectare debuisset, an non in ipsum meliori jure rejicere possem, aliorum judicio relinquo: ab ipsius tamen humanitate exspecto,

specto, quod saltem me adeo dementem non existimare velit, ac si putassem; paucis lineolis a me confectum iri id, quod alii operosis voluminibus ante me dudum feliciter præstitere: me autem minime existimasse, quod totam Gallicanam Ecclesiam adductis ejusmodi Codicibus fatis impugnaverim, censor meus facile colligere potuisset, cum abs dubio legerit meam annotationem ad §. 188., ubi parum anxius, an hæc verba in primævis exemplaribus contineantur, ipsam hanc Sessionem minime esse legitimam demonstrabam, proin ad alia longe argumenta recurrebam, si itaque eruditus hic Censor deinceps in meas annotationes calamum suum stringere voluerit, id unum, quod rogo, est, ut prius integrum illarum nexum præsertim in majoris momenti rebus discutere velit; turpe enim esset, si quis Orbi literario, quale judicium de quodam libro ferendum sit, demonstrandi munus sibi vendicaret, ipse vero haud integrum opus cohærenter discuteret, sed in sinistram sensum detorqueret, ac vera falsis immixta duntaxat ob pecuniarii lucris spem divenderet. Ceterum ex typi errore Burneti loco Brunetum fuisse scriptum, jam ante quatuor annos observaveram, ex hoc tamen nullum Censori meo dubium circa genuinum auctorem fuisse excitatum confido; hunc enim secta Protestantem, atque Anglicanæ Ecclesiæ Doctorem, ac Theolo-

gum fuisse, nec non Itinerarium suum Helvetico-Italicum conscripsisse, ibidem asserbam, proin Censor noster ex hisce conjunctis conditionibus Burnetum suum vix non de facie agnoscere, atque exiguum hunc typi nævum benigne excusare potuisset, quod sane a prudentia, & bonitate tam celebris Viri foliis suis totum orbem obumbrantis expectassem.

§. V.

De Victoria Ecclesie Gallicanæ a Censore attributa.

Nunc tandem eruditus Censor luculenter demonstrasse sibi videtur, quam incurius fuerim, dum in meis annotationibus Ecclesiam Gallicanam ex allegatis Codicibus fatis confutatam existimarim, interim vero firmissimum illius fulcrum intactum reliquerim, hanc ob rem ita contra me suas censuras prosequitur: er bedenkt aber nicht, wie siegreich für die gallikanische Kirche die Wort sind, deren Richtigkeit nicht bestritten wird: declarans, quod ipsa Synodus-generale Concilium faciens-potestatem a Christo immediate habeat, cui quilibet cujuscunque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur. u. s. w. Seu latine: *ast non considerat* (scilicet Pater Alexander) *quam decretoria pro Ecclesia Gallicana sint illa verba, quorum tamen legitimitas non impugnatur: „declarans, quod ipsa Synodus . . . Generale Concilium faciens „pote-*

„potestatem a Christo immediate ha-
„beat, cui quilibet cujuscunque status, vel
„dignitatis etiam si Papalis existat, obedire
„tenetur, u. s. w. Hæc verba dum considero,
Censorem meum interrogare liceat, quam
ob rationem hæc tres literas Germanicas,
u. s. w. quæ significant, und so weiter seu latine
Et cetera, seu reliqua addiderit? vel ergo
subsequentia etiam verba ad plenam Galli-
canæ Ecclesiæ victoriam conferre arbitra-
tur, vel id non opinatur: porro si ultimæ
hujus opinionis est, immerito me carpit, quod
hæc priora verba non considerans unice
sequentium intrusionem pro impugnanda
Ecclesiæ Gallicanæ Sententia demonstrare
conatus fuerim: si autem posteriora hæc
verba non sunt decretoria pro Ecclesia Gal-
licana, cur illa hisce literis u. s. w. anne-
ctere voluit? si forte Censor noster responso
destituatur, illud suggeram, reponens,
ipsum sua ingenii acie satis manifeste pro-
spexisse, quod Gallicana Ecclesia ex hisce
prioribus verbis, si a subsequentibus sepa-
rentur, nullam prorsus novæ suæ Senten-
tiæ victoriam adjudicare possit; quod enim
Summi Pontifices universalis Synodi le-
gitimæ decretis vi directiva adstringi nun-
quam recusarint, ad hodiernum usque diem
omnibus Gallis perspectum est: quod au-
tem etiam obedire teneantur *in iis, quæ per-
tinent ad fidem, Et reformationem generalem
Ecclesiæ Dei in capite, Et membris, talem sub-*

jectionem coactivam supremo Ecclesiæ Capiti imponere, nullum Gallicanæ Ecclesiæ Concilium, aut Conventus ante Constantiensis, & Basileensis Synodi tempora audebat: ut autem Censor difficultatem declinaret, atque ad quamcunque objectionem paratum haberet effugium, hinc etiam addere voluit hæc tres literas ad subsequenda verba referendas. Insuper Berolinensis hic Criticus me quidem gravis inconsiderationis reum proclamat: *er bedenkt aber nicht*: veniam autem mihi provocato dabit, ut hanc notam, quam mihi affingit, in suum Authorem retorqueam, ab eo sciscitans, utrum annotationes meas, quas circa hoc argumentum frequenter ad Constantiensis, & Basileensis Synodi gesta, ac decreta subjunxi, perlegerit, atque attentam mente perpenderit, vel forte illas nequidem fugitivo oculo percurrerit? porro hoc postremum a viro, qui criticas suas censuras in publicum spargere audet, haud credere volo, perinde ac si libros, de quibus suum iudicium ferre, orbique literario communicare præsumit, integre legendo non pertranseat, nec etiam quid in illis contineatur, intelligat, ac perpenderit; nam alias certe maximæ inconsiderationis, & temeritatis reus foret: si autem præfatas annotationes meas perlegit, ac discussit, palmaris falsitatis, ac detractionis se reum facit, scribens, quod ego non *perpenderit*,
quam

quam victoriose evincant Ecclesie Gallicanæ sententiam illa verba, quæ indubiæ apud omnes fidei sunt, prout sequuntur declarans &c. Jam tum enim, quam parum hæc ipsa verba Gallorum quorundam opinioni faveant, serio admodum perpendebam, ac præcipue §. 175. & §. 180. pro more meo paucis quidem, omnino tamen convincentibus rationibus ex ipsis hisce Concilii verbis: *super præmissis, & ad extirpationem DICTI schismatis* demonstrabam, quod hæc Synodi decisio, etsi legitima foret, duntaxat intelligenda veniret de Pontifice *dubio*, & pro casu *schismatis tum existentis*, eapropter in Sessione IV. priora verba speciatim, atque expresse restringuntur hisce sequentibus: *obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem schismatis*: hæc autem verba pariter indubia sunt, & a nullo fuere impugnata, & reipsa in hoc decreto continebantur, cum tamen illa verba: *ad fidem in Petri Crabbæi editione anno 1538. nec non illa verba: ad reformationem &c intrusa fuerint*: quando vero Constantiensis Synodus in Sessione V. sua decreta ad alia Concilia Generalia imposterum celebranda extendere videtur his verbis: *aut cujuscunque alterius Concilii Generalis*, tunc eadem Synodus ibidem satis provide ea rursus circa Pontifices restringit ad casus supra præmissos, scilicet ad casum Pontificis hæretici, dubii, aut ad tempus schismatis ob plures

339
de

de Papatu contendentes: caute enim subjungit: *legitime congregati super præmissis, aut ad ea pertinentibus*: hinc eadem hæc verba *super præmissis* in annotatione mea ad §. 175. diversis, ac aliquantulum majusculis literis imprimi curabam, unde haud satis mirari possum, quod Censor noster aliunde valde perspicax tunc oculorum suorum aciem adeo hebetatam habuerit, ut perspicere non potuerit, quod certe hæc verba juxta ipsum adeo victoriosa pro Ecclesia Gallicana sedulo perpenderim: eam vero Concilii mentem fuisse, ignorare haud potuit Censor noster, si tamen, prout tam universalis Critici munus deponere videtur, rerum in hoc Concilio gestarum seriem animo non præoccupato perpenderit: nonne passim in Historicis scriptum invenit, quod circa potestatem Concilii erga Papam tum a Patribus Synodi Constantiensis sex Sententiæ fuerint propositæ. 1. Asserebant quidam, Pontifices in nullo omnino casu Concilio subjici posse. 2. Alii dicebant Papam nequidem in casu schismatis (excepta hæresi manifesta, & externa) esse Synodo subjectum. 3. Nonnullorum erat opinio Pontifices de Papatu contendentes in hoc schismate etiam nulla probata eorum hæresi, pro unione, & pace Ecclesiæ comparanda Concilio subjici, ab eoque judicari posse. 4. Non pauci asserebant, quod Concilium, etsi pro casu schismatis in Papam dubium hanc ha-

beat

beat potestatem, Ecclesiam tamen in capite reformare non valeat, sed novum, legitimumque Papam expectare teneatur, ut eo consentiente reformatio fiat. 5. Plurimi propugnabant, Concilium duntaxat in casu schismatis utramque hanc habere potestatem nonnisi in Pontifices dubios. 6. Sexta Sententia erat Gersonii, qui non modo Synodo Constantiensi, sed cuilibet Concilio non solum pro casu schismatis Papam dubium, sed absolute subjectum esse voluit. Ex his autem sex Sententiis Synodus sua decreta instruxit juxta quintam sententiam, restrinxit ea igitur duntaxat ad casum dicti schismatis, non autem extendit ad omnem casum, eapropter Patres Synodi Constantiensis Joannem XXIII. quem nec de hæresi, nec de schismatis crimine vere convincere poterant, ac sibi illum deponendi auctoritatem non competere scirent, prius rogarunt, *ut consentiret sententiæ suæ depositionis, & ex abundanti renuntiaret.*

Hæc igitur cum non modo in mea annotatione ad §. 175. paucis exposuerim, sed etiam in sequenti nota ad §. 188. fusius comprobarim, quod quartæ, & quintæ Sessionis decreta nec Sedes Apostolica approbarit, neque universalis Ecclesiæ, & Romanorum Pontificum usus confirmarit, imo nequidem Ecclesia Gallicana perpetua Religione custodierit, sane immerito Criticus noster de me scripsit, quod hæc verba
non

non perpenderim: optarem autem, ut eruditus hic vir melius perpendisset apologiam Eugenii IV. Papæ in Florentina Synodo viva voce per Joannem a Turrecremata exhibitam, atque ab Harduino Tom. IX. Conciliorum insertam; ex ea enim serio perspicere potuisset, quod ex his verbis: *decla- rans* &c. Gallorum sententia sat parcos victoriæ fructus reportare valeat: quam enim gloriam sibi Gallicana Ecclesia vendicet ex ejusmodi decretis, quæ a tot Summis Pontificibus ad hodiernam usque diem rejiciuntur, & a nullo Papa, aut Generali Concilio recepta, vel in usum deducta sunt.

§. VI.

Censor Germano-Catholicos carpit.

Tandem Criticus noster, qui de libris judicium ferendi munus profitetur, universim Germano-Catholicos, proin etiam Cæsares, Reges, ac Principes indignum in modum fugillare præsumit, & qui antea severiorem egit Catonem, nunc velut alter *Ἡρακλῆς* flebili nœnia jugiter simplicitatem, ac suo judicio stoliditatem Germano-Catholicorum deplorare videtur his verbis: *es ist zu beklagen, daß die Deutschen von der Römischen Kirche sich so freywillig dem harten ultramontanischen Joche auch in den geringsten Stücken unterwerffen, seu latine, deplorandum est, quod Catholici Romanæ Ecclesiæ addicti adeo ultronee sese duro ultramontano jugo etiam in minimis quoque rebus subjiciant.* Verum

rum

rum a lacrimis sibi temperet bonus ille vir, suisque oculis ad pervolvendos libros adeo necessariis parcat, aures autem suas Divo Augustino, (1) qui sibi a Berolinensi crisi non timet, accomodare dignetur: hic autem refert, quod nonnulli sua etiam ætate pariter deplorarint, ac *considerarint eos, qui jugum ipsum intrepida cervice subierunt, & illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, quamvis non a laboribus ad quietem, sed a quiete ad laborem vocati videantur.* Idem quod Africanus hic Doctor ejusmodi carnis prudentia imbutis respondit, clarissimus quoque Censor noster sibi dictum reputet: *si angusta est sarcina paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus . . . & quæ dura sunt laborantibus, eadem ipsa mitescunt amantibus.* Ita de jugo Christi sentiebat sanctus Augustinus, & cum eo omnes Ecclesiæ Romano-Catholicæ Patres, ex quibus nullum omnino reperire est, qui obedientiam supremo Ecclesiæ Capiti debitam durum jugum, ipsumque Pontificem tyrannum, Antichristum &c. appellitare somniaffet, adeo, ut proterva hæc convitiandi libertas non alium Proto-parentem, quam Lutherum, ejusque assecclas agnoscat; antehac enim per quindecim sæcula, & amplius cunctis Ecclesiæ Doctoribus, omnibusque Christi fidelibus certitudine fidei perfua-

(1) Serm. 9. de verbis Domini.

persuasissimum erat, atque hodiedum est, quod Christi jugum non sit diversum a Petri, ejusque Successorum jugo, atque id non nisi filiis rebellibus durum, obsequiosis autem suave sit; edicat enim clarissimus hic Censor, quonam ex capite hæc obedientia grave censeatur jugum, aut quibusnam demum vinculis Christiana Romano-Germanæ Ecclesiæ libertas constringatur: equidem deplorat, quod Germani sua sponte etiam in minimis articulis ultramontano jugo sese subjiciant, ejusque auctoritatem ubique venerentur, ac defendant: num vero durum est illud jugum, dum non privato homini, sed Christi Vicario sincera præstatur obedientia, ei, inquam, qui ex cœlestis Magistri nostri institutione Petro in pascendo grege Dominico successit cum æquali Primatus, & jurisdictionis prærogativa. Ergone Germani, quibus vere germana adhuc inest fides, semetipsos tradunt captivos, dum obsequio suo juxta Apostoli doctrinam etiam in minimis ipso opere adimplent, *ut Corpus Ecclesiæ compactum sit, & connexum per omnem juncturam ad ædificationem in charitate.* Num forte Romani Pontifices jam tum Germanis suæ tyrannidis compedes injecerunt, dum eos a captivitate dæmonis, atque idolorum servitute ad Christianam libertatem, necnon ex superstitionum tenebris ad veræ fidei lucem per Apostolicos viros deduxerunt.

duxerunt; perscrutetur Criticus noster Scripturas historicas, & horum Pontificum nomina, & ad Christum ab eis revocata regna reperiet: perlegat etiam immensas laudes, & juges animi jubilos, quibus supremi Reges, Principes, cunctique incolæ se ad Christi ovile sub uno visibili Pastore suo reduces gloriabantur; vel unicum autem ex illis nobis ostendat, qui cum ipso deplorarit, quod duro ultramontano jugo per hanc conversionem sese subjecerit; si ergo illis hoc jugum suave erat, & hæc subjectio non minus salutaris, quam necessaria videbatur, cur nos ab hac eadem petra, supra quam Christus ipsemet suam fundavit Ecclesiam, recedamus. Unde autem hæc eadem subjectio novissimis hisce temporibus ad grave jugum excrevit? juxta Christi, atque omnium sanctorum Patrum, & Romano-Catholicorum doctrinam servi, & mancipia sunt illi, qui passionum suarum licentiæ indulgent, atque a legibus soluti velut equus, & mulus solutis habenis in apertis diabolicæ libertatis campis luxuriantur: haud ignoro, Lutherum fuisse primum Magistrum, qui christianam libertatem ope Spiritus privati in exemptione a legibus Ecclesiasticis, debita supremo capiti obedientia, omnique subjectione constituerit: verum hanc libertatem sapit caro, non spiritus: ea non est libertas filiorum Dei, sed gravissima servitus, atque tyrannis,

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

e

ut

ut eam appellat gloriosissimus Cæsar Carolus V. in suis literis ad Protestantium urbes datis (m) hinc ab hac libertate sibi summo opere cavebant Catholici Principes, haud ignari, quod hujus Novatoris doctrina, quæ omnem erga supremum Ecclesiæ caput subjectionem abjicere docebat, sensim etiam politici Magistratus auctoritatem evertat: juxta ipsius enim principia pronum est inferre, hoc, vel illud Cæsar, Regis, aut Principis mei mandatum conscientiæ libertatem lædit, ergo non teneor illi obedire, vel Princeps per hanc legem cultum, quem mihi spiritus privatus suggerit, exterius exercere inhibet, ergo hac lege non adstringor, proin illam spernere, meamque libertatem etiam armis in Principem meum sumptis defendere licet; potius enim Deo, quam hominibus obtemperandum. Talia præcinuit ipsemet Lutherus, qui docere non abhorruit, quod contra omnes, qui doctrinam a Protestantibus susceptam impugnare aggrediuntur, arma sumere liceret. (n) Taceo seditiosos ejusdem libellos, quos ita inscripsit: *glossa in præensum imperiale edictum: præmonitio ad Germanos suos dilectos.* Non dedignetur Censor noster audire eundem Romano - Germano - Catholicum

(m) Sleidanus lib. 17. edit. Argentor. anno 1558. fol. mihi 299.

(n) Contin. Hist. Fleurii tom. 36. §. Cl. Lib. CXXXII.

cum Cæsarem Carolum V. qui sæpius que-
rebatur, quod sub obtentu Christianæ li-
bertatis Protestantes primo Pontificis ju-
gum, dein etiam Cæsaris obsequium ab-
jicere moliantur: *a quibusdam, inquit hic*
Imperator (o) varia sæpe tentata sunt in ve-
strum, & reliquorum Ordinum, & meum quo-
que detrimentum non eo certe, quod
Religionem ament, aut Gloriam Dei spectent,
sed ut obducta quadam specie pietatis, qua suam
nequitiam tegunt, reliquos Ordines opprimant,
eorumque factiones in suam potestatem redigant;
nam & quorundam bona jam occuparunt, &
per vim adhuc detinent, magna certe cum in-
juria plurimorum, & cum eo rem deduxerint,
ut sublatis judiciis, nihil amplius metuant, nunc
etiam hunc MEUM, QUO FUNGOR,
MAGISTRATUM non uno modo petunt, &
temerarie convellunt, eo consilio nimirum, ut
Ordines imperii, maxime vero civitates, par-
tim vi, partim insidiosis rationibus subigant,
cujus quidem rei fidem mihi faciunt sermones
ipsorum, quando jactant, ut quidem ad me de-
fertur a fide dignis, & minantur etiam, SE
MIHI VIM FACTUROS, atque bellum.
Testantur idem tot illorum ficti, seditiosi, fa-
mosi libelli, atque picturæ, quas edunt, ut tur-
bas excitent, ET IN ME populum accen-
dant. Hi enim veluti per gradus ascende-
bant, primo Pontificis auctoritatem, postea
e 2 Eccle-

(o) Apud Sleidanum l. c.

Ecclesiam, ac demum ipsum etiam Imperium evertere molientes.

Quid in veritatis hujus testimonium afferri clarius posset his ipsis Caroli V. verbis: (p) *agitur, nec id quidem asserere dubito, de ipsa etiam Sede Apostolica, cujus Sanctitatem vestram tanquam dignissimum Caput veneror, in quod hæretici periculosissima sua spicula intendunt, spe freti, quod tunc, si hanc columnam, quæ Ecclesiam Catholicam sustentat, ac veluti vallo cingit, feliciter everterint, nullo negotio ipsam quoque Ecclesiam brevi pessumdare possint.* Idem etiam præfenserat piissimus Pontifex Adrianus VI. natione Germanus, qui Imperii Principes contra perversam hanc doctrinam his verbis præmonuit: (q) *attendant finem Lutheri, quo SUB COLORE LIBERTATIS PRIMO potestatem Ecclesiasticam annihilare præsetulit, cum tamen eadem libertas æque & plus militet CONTRA POTESATEM SÆCULAREM, etiam illam enervare vult; non enim illa amplius homines quibusdam præceptis, quantumvis justis & rationabilibus ad parendum sub pœna mortalis peccati obligare poterit; unde maxima scandala, turbationes, & bonorum direptiones ex hac secta sequentur. An non, profequitur Pontifex, consideratis, Germani Principes, præludium esse quoddam eorum malorum,*

(p) In sua ad Paulum III. epistola apud Contin. tom. 38. Lib. CXLII. §. 148.

(q) Continuator tom. 34. Lib. CXXVIII. §. 29.

lorum, quæ Lutherus, ejusque Sectatores moliantur? an non aperte videtis, istud prætentum in principio a Lutheranis veritatis Evangelicæ patrocinium delectum, nunc esse merum rerum vestrarum Latrocinium: an putatis alio tendere istos iniquitatis filios, quam ut libertatis nomine, omni obedientia sublata, quod cuique libuerit, faciendi licentiam inducant? an ullius pensi jussa, & leges vestras creditis habituros, qui sacros Canones, & Patrum decreta, nec non Sacro-Sancta Concilia non solum vilipendunt, sed, & lacerare, ac comburere non verentur? denique qui Sacerdotibus, Episcopis, & summo Pontifici debitam obedientiam detrectant, an speratis contenturos sacrilegas manus a Laicorum bonis, & non omnia potius sibi, quæ poterunt, vindicaturos, qui res Deo dicatas, quotidie vobis præsentibus & videntibus auferunt, diripiuntque? an denique vestris cervicibus parsuros, qui non tangendos Christos Domini contemerare, cedere, & trucidare ausi sunt? pariter Farnesius Cardinalis, nec non Cæsaris Oratores Granvellanus, & Navius sæpe deplorabant, quod per pestiferam hanc libertatem integerrimum Cameræ judicium subvertere moliantur, ut eo sublato Cæsaris in Germania ruat auctoritas, ac violetur Cæsaris Majestas. Id reipsa comprobarunt tot bella, ac seditiones pro tuenda adulterina hac libertate contra legitimos suos Principes conflatae, quæ passim a sacris, profanisque Historicis

non sine horrore recensentur: si autem Leges a summis Pontificibus præscriptas grave iugum appellare audent, potiori fors jure Cæsaris, Regum, & Principum mandatis sibi compedes injici ingemiscunt, nam eædem sunt Cæsaris ac Pontificis prærogativæ ac jura, hoc Sacrum, illo profanum imperium moderante, jam conferant ea, quæ Papa, cum illis, quæ Principes profani jure præcipiunt, atque imponunt, & me Hercle! Pontificis jugum haud grave asserent, & si per tot Sæcula adeo *ultronee* tot milliones Germanorum sese huic jugo subjecerunt, ac subdiderunt, sane vel ex eo illud adeo durum non esse evincitur; quænam enim præcipit Pontifex? si res fidei perpendo, non novos injungit articulos, sed antea obscure in S. literis revelatos tanquam infalibilis judex declarat, ac juxta Christi præceptum Patres, ac filios suos confirmat, ne a recta via aberrant, sed fidei unitatem indissolutam conservent: nec durum jugum dici meretur, si Papa salutaribus monitis, ac suavi etiam vi ad servanda hæc dogmata compellit; injuste enim Apostolus nos monuisset, ut captivemus intellectum nostrum in obsequium fidei. Si hæc subjectio grave jugum est, cur idem Apostolus suos Christianos instruxit, quod omnis anima subjecta sit sublimioribus potestatibus? si haud toleranda sarcina est, quod oves sequantur Pastorem, cur Christus Petrum constituit

stituit, ut indiscriminatim omnes pasceret oves: forte Cenfor noster fortem nostram deplorat, eoquod Christi jugum Pontifices tot novis Ecclesiæ Legibus circa mores, & disciplinam aggravarint? forte etiam deplorabit semetipsum, eoquod gravissimarum, innumerabilium, ac novarum legum ad profanam politiam spectantium jugo subiectus esse cogatur? Leges Pontificiæ vix non omnes ab ipsismet Apostolorum temporibus ad nos fuerunt transmissæ; quippe jejunia cultu magis Religioso antiquissimis temporibus servabantur ab ipso Apostolo 2. ad Cor. commendata, nec ex recenti Pontificum invento jejunii tempus fuit protractum; cum Elias in veteri, & Christus in novo testamento quadraginta dierum jejunio nos præiverint, atque Origenes tanquam de re jam dudum observata scripserit: *habemus quadragesimæ dies jejuniis consecratos, habemus quartum & sextum Septimanæ dies, quibus solemniter celebramus, est certe libertas Christiana PER OMNE TEMPUS jejunandi*: itaque per omne tempus jejunare Christianis liberum erat, præfatis autem diebus præceptum. Forte cum suis inter gravis jugi onera recenset distinctam, atque auricularem peccatorum Confessionem, ait Actor. 19. legimus, quod prædicante Apostolo Ephesi multi credentium venerint *confitentes, & annuntiantes actus suos*, hi certe non generaliter dixerunt: *peccavi,*
e 4
annun-

annuntiantes ea, quæ egerunt, *actus suos*; alias frustranea fuisset potestas a Christo Apostolis, eorumque Successoribus data solvendi, ac ligandi; omnibus enim generaliter dicentibus, *peccavi Domino*, vel omnes solvere, vel cunctos ligare deberent, ex hac generali Confessione nescientes, quem solvere, quem vero ligare oporteret: rursus vero idem Origenes hom. 4. supra Levit. septem statuit peccatorum remissiones, quarum ultima est, prout inquit, licet dura, & laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrimis stratum suum *& non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum*: non ergo adversarii nostri Confessionem esse Pontificiam carnificinam, nec Germano-Catholicos a Pontifice huic jugo subjectos asserant. Si vero Pontifices in contumaces, & seditiosos filios Ecclesiæ poenas vibrant, Christi præceptum adimplent, dicentis: *dic Ecclesiæ, si autem non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*, ne vero anathematis Sententia duntaxat a tota simul Ecclesia vibranda credatur, non ad Ecclesiam, sed ad Apostolos mox dixit Christus, *quæcumque alligaveritis &c.* adeo ut per Ecclesiæ Prælatos seditiosi, ac rei duplici poena castigentur in terris 1. ejectione ab Ecclesia, *sit tibi sicut &c.* & 2. futuro supplicio: *erit ligatum in cælo*: hanc autem poenam ab ipso met Apostolo severius fuisse inflictam, haud igno-

ignorabit Criticus noster, cui nota erunt verba ex 1. Cor. 5. ac 2. Cor. 22.2. Theſſal. 3. &c.

Nec etiam Germanicæ nationi durum jugum impositum eſt per Pontificias Conſtitutiones circa materias ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantes: quippe ea etiam, quæ delicatoribus humeris graviora videbantur, relaxata fuere per Concordata Nationis Germanicæ inter Pium II. & Fridericum III, inita, quæ adeo Religioſe ſervantur, ut etiam Imperatores in ſua coronatione, ſe ea, ac capitulorum jura contra Pontificem ſervaturos jurato ſpondeant: nec Pontifices in aliis, prout tamen falſo criminantur Proteſtantes, diſciplinæ vigorem enervant; nam quamvis exigente rerum, temporis, locique viciffitudine nonnunquam in quibusdam legibus Canonicis diſpenſandi facultatem habeant, nunquam tamen ea poteſtate ad deſtructionem, ſed ad ædificationem utuntur, tum autem, ut ait Symmachus Papa in epiſt. ad S. Avitum, *quod fit præter regulam, modo fiat ex juſta cauſſa, non infringit regulam, quam ſola pervicacia, & antiquitatis contemptus lædit; nam quamvis a Patribus ſtatuta diligenti obſervatione, & obſervanti diligentia ſint cuſtodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod & ipſa lex caviffet, ſi prævidiffet, & ſæpe crudele eſſet inſiſtere legi, cum obſervantia ejus eſſe præjudicabilis*

abilis Ecclesiæ videtur: quoniam leges ea intentione latae sunt, ut proficiant, non ut noceant: Amabilis igitur Patris jugum est, ubi ipsius mandata, si absque morali no-cumento servari nequeunt, non obligare vult, vel si ea nocere comperit, ipse dispensat, vel aliis dispensandi facultatem delegat: hinc suave jugum est Catholico-Germanorum, quos charitatis vinculum suo capiti agglutinat, non vero potest esse unio charitatis, apud quos deest unio fidei: qualis vero apud Protestantes sit unio fidei, ubi illius est Religio, cujus est regio, patet, unde tot inter illos schismata, tot Sectæ, quot Provinciæ, prout ingenue fatebatur Joannes Leonardus Fröreisen Argentinensis Academiæ Rector, cujus testimonium ad calcem proferemus. Felix ergo jugum nos Romano-Catholici Germani portamus, dum juxta S. Cyprianum, ne in nobis sint schismata, uni Maximo Sacerdoti obtemperamus, illique rationabile obsequium præstamus.

Tandem Criticus noster haud contentus Germanorum-Catholicorum sortem deplorasse, eisdem quoque exprobrat, quod præsentaneum Pontificis jugum excutiendi medium neglexerint; ait enim: da sie (die Deutsche der Römischen Kirche) sich doch so gut als die Franzosen wenigstens zu der freieren Denkungsart der gallikanischen Kirche herausschwingen könnten. Seu latino sermone: *cum ta-*

men

men (Germano - Catholici) æque, ac Galli saltem ad liberioſem ſentiendi modum Gallicanæ Eccleſiæ ſeſe extollere poſſent, aliunde etiam ejuſmodi prærogativam Gallis jam ſuppeditet ipſorum intellectus per ſcientias magis illuſtratus.

Noſcitur ex cantu volucris: itane liberioſior ſentiendi ratio efficit, ut quis exactius boni Chriſtiani partes adimpleſſe dicatur? ergo ne fidei puritatem cujuſlibet privati, aut unius nationis liberioſiori ſentiendi modo exponere licet, eaque juxta hanc libertatem dimetienda venit? Hæc quidem ſit doctrina illorum, qui fidei regulas ad ſuum privatum ſpiritum, ſicut Sutor corium ad ligneam calcei formam detorquere, atque accomodare permittuntur alia longe eſt Nationis, ac Gallicanæ Eccleſiæ, necnon cujuſlibet veri Catholici Sententia; nam ea non aliam ſentiendi rationem tenet, quam cunctis fidelibus Chriſtus præcepit dicens: *facite, quæ vobis dixerint*: horret autem Gallicana Eccleſia ejuſmodi libertatem, qua ſummo Pontifici debitum denegatur obſequium, deteſtatur libertinos, eorum autonomiæ ſeu libero vivendi, ac ſentiendi modo, qui Germanico ſermone *Freydenker* *rey* appellatur, ſeſe ſtrenue opponit: Ea propter Criticus noſter toti Nationi Gallicæ, huicque Eccleſiæ atrocem ſane calumniam, labemque inuſſit, cum Gallos ad liberioſem ſentiendi modum ſeſe extuliſſe temere ſcribit, Germanoſque increpat, quod necdum
ſaltens

saltem ad hanc libertatem sese extulerint, si sese (ut sat aperte insinuare videtur) ad Lutheranam, vel Calvinianam libertatem efferre nolint. At quam falso Gallicanam Ecclesiam insimulet, testimonia paulo ante allata evincunt, in quibus manifeste deprehenditur, quod Galli omni ævo fidei, atque Ecclesiæ unitatem a Romana Sede, non autem a liberiori sentiendi modo derivari, conservari, ac propagari professi fuerint; quoniam vero eruditus noster Censor fors novissimis primum temporibus per intellectum scientiis recens illustratum Gallicis novam hanc sentiendi libertatem, qua ultramontanum jugum excutere possent, insillatam arbitratur, ex Galliis nonnisi currentis Sæculi testes evocabo, ut constet, non eam sentiendi libertatem, quæ Ecclesiæ Gallicanæ affingitur, potissimum in hoc Regno locum habere: anno quippe 1700. Clerus Gallicanus in Comitibus Generalibus Lutetiæ celebratis profitebatur: *unum in Ecclesia adesse primum Episcopum, unum adesse Petrum toti gregi pascendo a Christo præpositum: unam adesse Matrem Ecclesiam ceteris edocendis institutam, unde inferebant Antistites: Jesu Christi Ecclesia super hanc unitatem fundata, tanquam supra Petram immotam, inconcussa est.* In Comitibus autem anno 1705. Præsules Constitutionem Clementis XI. cum plena subjectione acceptantes: *judicio Sedis Apostolicæ firmari pacem Eccle-*

Ecclesiarum declarabant, idque Cardinalis Noallius anno 1711. data ad eundem Papam epistola, cui duodecim Archiepiscopi, & Episcopi subscripserunt, testatum reddebat: nec minus anno 1713. die 15. Octobris iidem Antistites Parisiis congregati Constitutionem *Unigenitus* absque ullo illius examine acceptarunt, hæc addentes: *illud imprimis habuimus in animo, ut Apostolicæ Sedis debitam observantiam exhiberemus.* Me hercle! non ita loquuntur illi, qui liberiori sentiendi modo Ultramontanum jugum excutere molliuntur: insuper Clerus Gallicanus in suis literis encyclicis e Comitibus anno 1714. conscriptis agnoscit, *datum esse Petro, & Successoribus ejus, ut Patres suos in his maximi momenti casibus (fidei nempe, & morum) corroborarent.* Præclarum etiam immoti in Religionem Romano-Catholicam studii, nec non suæ in Apostolicam Sedem reverentiæ specimen edidit Ludovicus XV. Galliarum Rex, dum anno 1714. Bullam *Unigenitus* publicari, & ad tabulas referri præcepit, atque ad sedandos tumultus anno 1717. silentii legem imposuit. Insuper idem Franciæ Rex suam erga Romanam sedem, ejusque visibile Caput obsequium professus est, dum anno 1723. prodiit opus posthumum Gallice inscriptum: *Nona dissertatio Abbatis Fleurii de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, ubi hic auctor de debita erga Papam subjectione loquens, testatum fecerat, quod

in Gallia vix ullum Regularem, vel Ecclesiasticum reperire sit, qui non in sententiam de Romani Pontificis infallibilitate, uti eam, quæ pietati conformior est, pronius inflectatur, atque hæc Sententia apud illos integra, sartaque maneat, qui moribus, vitæque genere præ aliis, qui in novitiam opinionem concesserunt, magis magisque exornati sunt, hæcque opinio duntaxat quibusdam juristis, aut profanis politicæ, aut liberioris disciplinæ, laxiorisque vitæ generis hominibus placeat, cum autem in eadem dissertatione pag. 24. Fleurius, assereret: hæreticam esse sententiam, quæ docet, Romanum Pontificem humana duntaxat institutione, ac mera Ecclesiastica politia Primatum obtinere, hæc censura cuidam Anonymo displicuit, ac propterea hanc dissertationem, quam juris publici fecit, annotationibus hæreticis, ac liberiolem sentiendi modum sapientibus deformavit: ast hujus viri licentiam Ludovicus Rex iniquo ferens animo, ut læsam Pontificis auctoritatem vindicaret, hoc opus unacum nefandis suis annotationibus decreto supremi Senatus die 9. Septembris anno 1723. suppressi, atque in illius auctorem inquiri iussit. Eiusdem quoque Regis Zelus, quo Romani Pontificis tanquam visibilis Ecclesiæ Capitis jura sarta voluit, enituit, dum libellum, cui titulus: *Consultations des Messieurs les 50. Advocats &c.* edicto die 3. Julii 1728. proscripsit, ac divulgari prohibuit,

eoquod

eoquod in eo debita Pontifici subjectio negaretur. Præterea recentissimum juxta, ac luculentissimum, quo Ecclesia Gallicana Sedi Apostolicæ sese subjectam profitetur, specimen nobis exhibetur occasione controversiæ ante aliquot annos exortæ ob recusationem Sacramentorum in articulo mortis erga eos, qui Bullam *Unigenitus* non acceptarunt: legatur (r) epistola Pastoralis Christophori de Beaumont Parisiensis Archiepiscopi anno 1756. die 19. Septembris edita, in qua a primis Sæculis usque ad nostram ætatem plena Gallicanæ Ecclesiæ subjectio erga Sedem Apostolicam invictis argumentis testata redditur, quam etiam tum octo Episcopi suis scriptis publice comprobant, atque triginta tres Franciæ Antistites hanc controversiam non a Concilio, sed ab ipso summo Pontifice decidi humiliter petierunt, atque obtenta Pontificia hac declaratione ipsemet Ludovicus XV. Rex anno 1756. die 13. Decembris suam auctoritatem ad procurandam Pontificiæ Constitutioni debitam venerationem, & subjectionem impendens eandem hanc legem acceptabat, atque observari præcipiebat, moxque Franciæ Episcopi cum plena subjectione hanc Pontificis sententiam recipiebant. Non tamen inficiamur, quod Jansenistæ,

(r) Vide libellum de turbis Galliæ modernis edit. Ulm. 1757.

senistæ, illisque addicti, Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus, quæ tamen ad primos limites per concordata inter Leonem X. & Franciscum I. anno 1616. erecta, atque in Concilio Lateranensi comprobata revocatæ fuerant, abutentes, vel alii, quos Fleurius l. c. *liberioris disciplinæ, laxiorisque vitæ generis* viros appellat, obsequium erga Pontifices pro more omnium hæreticorum excutiant, eisque summo Pontifici subjacere displiceat: ast ex horum ausibus totius Ecclesiæ, ac Nationis Gallicanæ Religionem, studiumque dimetiri nefas est; si vero propterea Criticus noster fors de Orthodoxia Gallorum dubius hæsit, consulere debuisset regulam Divi Bernardi, (s) qui ait: *in omni negotio validissimum argumentum est ad faciendam rei dubiæ fidem, id semper esse melius, quod placet bonis, malis vero displicet.* Patet igitur, quod Gallis injuriam fecerit Censor, dum generatim illis ex clariori inscientiis notitia nobiliorem sentiendi libertatem inspiratam comminiscitur: Germani haud minori judicio, prudentia, perspicacia, & literarum peritia fulgent, ast eo ipso nunquam ad liberiores hanc sentiendi rationem deflectendum esse, clarius agnoverunt: si autem Gallos eruditionis ubertate Germanis præstare arbitretur, cur Censor Berolinensis cum suis non sequitur Gallorum fidem, ac doctrinam: forte non illos,

(s) Epist. 388. nunc 348.

illos, qui sese Romanæ Ecclesiæ subjiciunt, sed duntaxat eos Gallos, qui illius jugum sua sentiendi libertate excutiunt, clariori scientiarum luce illustratos existimat?

§. VII.

Berolinensis Critici censura contra Interpretis notam in Pisannum Conciliabulum.

Postea Berolinensis Criticus censoriam virgam suam extendens mihi exprobrat, quod ea, quæ Ludovicus XII. Galliarum Rex adversus Julium II. Papam attentaverat, non approbaverim, inquit enim Concilium, quod Ludovicus XII. contra Julium II. convocaverat, nec non bellum, quod ei intulerat, præcipue vero pacis conditiones, quas Rex ei proposuerat, versor tanquam omnium maxime abominanda reputat scelera, „miseram „(exclamat tom. 32. pag. 165. cum Mariana) temporum labem a profanis Christi „Vicario leges imperandi præscribi, in uno peccato (nemlich in der Zusammenberufung der Kirchenversammlung) quot, & quanta existere peccata, quæ tamen (addit de suo Interpres) haud impune abibant; quippe ut „refert Odoricus Raynaldus, post varios „demum funestos casus Gallus accepti Ferrariensis auri poenas Italici, & Navarrici „Imperii jactura persolvit „ Concilium, daß Ludwig XII. gegen den Pabst Julius II. versammelte, und der Krieg, den er mit ihm führte, insonderheit aber die Friedensbedingungen, die er ihm vorlegte, scheinen dem Uebersetzer die abscheulichsten Verbrechen. Ecce! his verbis

Hist. Eccles. Tom. XLIV. f tota

tota mea describitur culpa: allegavi Marianæ verba, & de meo addidi, *hoc peccatum non fuisse impune relictum*, idque probavi verbis Odorici Raynaldi: atrox sane peccatum! si verfor quidam duorum probatæ fidei Authorum animadversiones in quodam factum historicum adducit: attamen Mariana & Odoricus vel falso, vel vere hæc annotarunt? si vere, cur mihi vitio vertitur, Historicos veritatem dicentes adduxisse, si falso, falsitatis testimonium ipso contra eos proferre, non autem me carpere ex eo debuisset, quod veram culpam hac utriusque Scriptoris animadversione dignam esse, ipsorum testimonio comprobarim: porro an hæc crimina *omnium maxime abominanda* reputarim, ex verbis a me adductis sane inferre non potuit; ex ejus autem censura merito ipsius animum Romanis Pontificibus apprime infensum colligere fas est, dum approbata, aut saltem excusata, vel dissimulata vult ea facinora, quæ omnium coævorum testimonia damnant, & ipsemet Ludovicus Rex se perpetrasse ingemiscebat. Taceo Conventum Turonensem, quem Coævi historici ferme omnes etiam Galli *conciabulum* vocant, eo quod in illo pauci quidam exasperato Regis animo ancillantes decreta Sedi Apostolicæ injuriosa condidissent, ut autem ea saltem a quibusdam Regni Gallici Ecclesiasticis approbarentur, idem Rex minas, crebrasque injurias illis illatas adhibere cogebatur, eo quod probis

peripe

perspectum esset funestum conflare schisma, quod re ipsa nonnulli Cardinales, quos privatæ vindictæ libido ad probrosam a Papa defectionem incitaverat, suscitare moliebantur, congregantes Pisanum illud Syne- drion, cujus tamen vindicem agere, ipse- met Criticus poster erubuisse videtur, haud ignarus, illius acta adeo a cunctis abomi- nationi haberi, ut etiam ille Calvinista, qui ea anno 1612. typis edidit, nec suum, nec Typographi nomen, locumque prodere aude- ret, ac falsum Melchioris Mondier nomen men- tiretur, ut eo liberius impia quævis cum summa rerum divinarum profanatione pro Novatorum recentiorum more intrudere valeret: si vero contra Censoris nostri Ec- clesiam nonnulli Protestantes novam in Re- gno Sectam, ac schisma in quodam con- ventu conflare præsumerent, nonne ipsemet ejusmodi conciliabulum damnaret, atque in eodem actitata veluti maxime abomi- nandum facinus detestaretur? prout non ita pridem ejusmodi scissiones deplorabat Rector Argentinensis supra laudatus: nunc vero Criticum meum mitiora, ni saniora cogitaturum spero, si Pisani hujus Conven- tus initium, progressum, & finem mecum sana crisi, ac mente suis præjudiciis a ju- ventute instillatis non præoccupata per- penderit. Itaque hoc conventiculum indi- cebatur a tribus Cardina libus insana cupi- ditate excæcatis, qui in sua indictionis

schedula Julium Papam perjurii reum pro-
 clamabant, eoquod Oecumenicum Conci-
 lium, prout promississet, celebrare neglexe-
 rit, cum tamen ipsimet satis perspecta ha-
 berent obstacula, quibus Pontifex a cele-
 branda Synodo præpediretur, qualia præ-
 ter alia erant omnibus nota, ac ubique gras-
 fantia bellorum incendia: dein hæc ratio
 etsi reipsa non subfuisset, nequaquam tamen
 hi tres Cardinales universalem Synodum
 convocandi facultatem ad se devolutam jure
 asserere poterant; quis enim Catholicorum
 legitimo Pontifici in hoc casu hanc potesta-
 tem auferre potuit, aut si hunc Papam
 non fuisse legitimum censuerunt, cur non
 potius ad reliquos Purpuratos numero, do-
 ctrina, & auctoritate potiores, sed potius
 ad tres factiosos devolvebatur? cur hi nec
 ipsimet per se, neque per alios Papam, ut
 Concilium convocaret, hortabantur, sed
 inanibus, confictisque argutiis delusi de-
 speratam rem esse jactitabant, imo convo-
 candæ Synodi auctoritatem ad primum oc-
 cupantem spectare dicebant, ut ipsimet facti
 sunt in literis datis ad Cardinalem quem-
 dam, qui antea hujus factionis particeps
 eorum in indicenda Synodo præceps con-
 siliium damnabat: (t) *cum esset, inquit illi,
 in mora periculum, postquam venerunt isti Com-
 missarii, & procuratores Cæsaris, & Regis
 Chri-*

(t) Vid. append. act. Conc. Pisc. pag. 166. item
 act. Pis. Conciliabuli.

Christianissimi ad requirendum eos de Concilio, intelligentes Sanctissimi Domini nostri comminationes, & fulminationes de citationibus, & creationibus &c. & infra, facimus diligenter conuocationem Concilii, ut Sanctissimum Dominum nostrum jurisdictione præueniremus. Turbulentus autem ejusmodi conventus sane ab omnibus Catholicis pro gravissimo reputatur flagitio, hinc primæ hujus Concilii Sessioni nullus Episcoporum interfuit, quos tamen Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei: porro egregios dixeris Pastores, qui nec a Deo, nec ab alio legitimam potestatem habente sunt vocati ad Dominici gregis causam dijudicandam: equidem postea ex Episcopis nonnulli hunc coetum adibant, sed eorum plerique inuitis animis ad id compellebantur, prout ex Renati Priæ factiosi Cardinalis epistola constat; nam is die 1. Julii Francorum Regem rogabat, ut Prælatos Regia vi ad hunc Conuentum adigeret, moxque ab initio quatuor Cardinales a ceteris tribus decepti agnito errore indictioni Synodicæ consentire renuebant, reliqui vero vi tyrannica Clerum præcipue ad quartam Conciliabuli sui Sessionem non sine maxima Mediolanensis Cleri, populique offensione cogebant. (u)

Nec magis pius, prosperque fuit hujus Conuenticuli successus; quippe propter exortos Pisis tumultus inter eorum familia-

f 3

res,

(u) Loc. cit. p. 165. & 168. 106. ac 109.

res, & Pisanos, ibidem hi schismatici haud diutius consistere audebant, hinc Mediolanum proficisci cogebantur, ibidem ab omnibus ludibrio habiti, hinc ipsemet Clerus Mediolanensis suam civitatem horum rebellium ingressu funestatam arbitratus, mox sponte templa clausit, sacrorumque usu abstinuit, omnesque fideles horum concilium non nisi ad conflandum schisma esse incæptum agnovere. Tandem vero Lugduni, quo hoc conciliabulum fuit translatum, Gallorum Episcopi hucusque huic confessui adhærentes id ipsum postea ejurarunt, ac præprimis anno 1514. Joannes Lexoviensis, Antonius Engolismensis, Franciscus Ambianensis, Joannes Cabilonensis, Symphorianus Laudensis, & Andegavensis Episcopi, nec non Joannes Arelatensis, & Lugdunensis Archiepiscopi, alique Gallix Præsules schismatis veniam deprecari sunt, atque a Censuris, pœnisque a Leone X. solvi rogantes Pisani Conciliabuli acta damnarunt. (x) perpendat nunc, cuicumque sana, ac sincera judicandi vis insidet, an non Mariana, Odoricus, alique Scriptores Ecclesiastici merito jure hoc attentatum pro gravi peccato habuerint, illosque redarguerint Præsules, qui Regi aliunde commoto adulandi, atque obsequendi studio excecati schisma non ita pridem extinctum rursus accendere moliebantur,

(x) Conc. Lat. Sess. 9.

tur, quamvis postea Deo quorundam pertinaciam plectente, aliorumque corda ad resipiscentiam flectente hoc conciliabulum penitus fuerit dissolutum, ac ipsemet Maximilianus Cæsar, qui eidem ab initio favere videbatur, facti pœnitentia, ac rubore suffusus, eoquod hisce seditiosis vel minimum patrocinii genus unquam impendisset, cuncta ejus acta prorsus irrita declararet: id discere potuisset Criticus noster ex Lutherano scriptore Davide Chytræo (y) qui Trevirensibus Comitiis Coloniam translatis ibidem a Cæsare, ac congregatis sancitum refert, quod nullatenus tolerandum sit seditiosorum Cardinalium Pisanorum schisma; unde Maximilianus Cæsar horum perduellium literas, quibus suum indicebant conventiculum, tanquam subreptitias improbat, ac Matthæo Langio Gurcensi Episcopo suo ad Lateranense Concilium Oratori negotium dabat, ut Pisanum hoc Conciliabulum damnaret, & Synodo Lateranensi Cæsaris nomine adhæreret, ubi idem Orator omnino negabat, quod Cæsar vel unquam illud Pisanum mandatum ad hoc conciliabulum dederit; insuper Florentini inconsideratam suam, qua illud conventiculum in suæ ditionis urbe celebrari permiserant, facilitatem damnabant. (z) Nonne ergo horum

f 4

(y) Chronic. Saxon. item Paris de grassis t. 3. pag. 948.

(z) Contin. Hist. Fleur. L. CXXII. §. 54. fol. 274.

horum Præfulum pœnitentia, Cæsaris, ac Florentinorum dolor manifestum est gravis delicti hac in re perpetrati signum: cum autem ipsemet Ludovicus Franciæ Rex se gravioris adhuc culpæ reum agnosceret, eoquod vindictæ impetu abreptus hoc conciliabulum omnibus viribus promovens, schismaticos hosce etiam concessio securitatis loco contra Pontificis monita pertinaciter defendisset, ac Præsules minis quoque, & pœnis ad hunc conventum adegisset, hinc agnito errore etiam magis luculentum pœnitentiæ suæ testimonium edere voluit, dum crimen suum publice fassus, ac detestatus in Concilio Lateranensi per suos Oratores Claudium Seyffelium, & Ludovicum Forbinum veniam peteret, ipsum hunc Pisanum cœtum nonnisi *conciliabulum* nominaret, illumque rejiciens Lateranensi Synodo adhæreret: si igitur Censori nostro per tempus vacat, perlegat, quæso, hujus Christianissimi Regis epistolam in Sessione VIII. Lateranensis Concilii recitatam, ex qua discere poterit, quod ipsemet Rex, & cum eo universa Francia hoc Conciliabulum tanquam abominandum flagitium detestata fuerit, cur ergo mihi, aliisque Historicis succenset? nonne hunc conventum ceteræ nationes adeo abhorrebant, ut quamvis idem Franciæ Rex Scotos, Danos, Moscovitas, & Russos sollicitaret, a cunctis tamen

tamen repulsam ferret, (a) hæc Criticus noster ex ipso Fleurianæ Historiæ continuatore discere potuisset, si voluisset; debuisset tamen, si ingenuum, ac solertem Criticum agere vellet: si vero rationes, ob quashic conventus nonnisi pro Conciliabulo habeatur, percipere non detrectat, consulat Historiam Natalis Alexandri natione Galli: (b) saltem non aspernetur inquirere in Historico-Geographico (c) Dictionario, cujus Auctores ob nimium erga Romano-Catholicos affectum certe ei suspecti non erunt; ibidem autem ad verbum, *Pisa* reperiet, quod Franciæ Rex hoc conciliabulum eo duntaxat ex fine defendendum suscepit, ut contra Personam Julii II. agere posset. Pariter in aliis quibusdam Codicibus Historicis, Ludovico Cavitellio, Parisio, & Guicciardino facile perspicere potuisset Berolinensis noster Censor, quod horum primus in suis Cremonensibus annalibus testetur, quod Julius II. nonnisi a Galliarum Rege variis vexationibus, atque injuriis, illatisque damnis provocatus, ac compulsus eidem bellum intulerit; nam Cardinalem Rothomagensem Rex malis

f 5 artibus,

(a) Cont. Hist. Fleur. Lib. CXXII. §. 114. fol. 371.

(b) Tom. 18. edit. Paris. ann. 1744. Dissert. XI. art. 4. pag. 679.

(c) Historisch, und Geographisches, allgemeines Lexicon lit. P.

artibus, atque ex mero imperii sui amplificandi studio in Pontificatum intrudere, & Italiæ imperium suis armis sibi vindicare, ut passim spargebatur, molitus est, cunctisque, quibus Papa quædam in Galliis beneficia contulerat, eadem abstulit, eo usus prætextu, quod Pontifex cuidam viro, qui Regi non erat acceptus, præbendam assignasset: insuper Rex pacem Venetis a Papa datam indignatus Alphonsum Ferrariæ Ducem, fiduciarium Romanæ Ecclesiæ Principem, qui supremum Sedis Apostolicæ Dominium ultra agnoscere recusans quædam Ecclesiastici juris oppida possidebat, in suam clientelam recipiebat, ac duplex violabat fœdus, unum Briagassi, alterum Cameraci initum, quo cautum, ne quis alterius fœderati fiduciarios, vectigalesque defendendos adversus alterutrum susciperet: nihilominus Alphonsus Dux Franciæ Regis patrocinio tutus gravissima damna Ecclesiæ ditibus intulit, & salutaria summi Pontificis monita spernens, populabundus in agrum Ecclesiasticum excurrebat, imo etiam Papam coram sanctiore præfati Regis Senatu ad iudicium vocare præsumebat: igitur Julius Papa tot, tantisque ausibus iusto Dei Zelo accensus id, quod ab Alphonso paternæ lenitatis via obtinere desperabat, pœnis in Ecclesia semper in ejusmodi obstinatos usitatis extorquere statuit: verum Ludovicus Rex fastu turgidus hunc

hunc Ducem omnibus armorum viribus violato etiam fœdere defendere non abhorruit, ac Belliducibus suis anathemate percussis, immoderato ultionis impetu abreptus Gallix Præsules ex Pontificis aula edito decreto revocabat, nonnullos Cardinales, ut a Papa deficerent, subornabat, Cardinalem vero Nanetensem, eoquod ejus jussis obtemperare renueret, ad inopiam usque divexabat. His nondum contentus Turnonense illud, & Pisanum Conciliabulum celebrare jubebat, omnes Italiæ Principes adversus Papam incitans. Hæc a Rege gesta fuisse, Historicorum etiam coævorum testimonia comprobant, inde vero Criticus noster colligere poterit, an Regis bellum fuisse justum asserere audeat: certe Protestantium Principem palam carpere non reformidaret, si is totum, ut vocant, consistorium evertere, ac illegitimis viis, armisque Pastorem quemdam intrudere, atque in sua Ecclesia perniciosum schisma suscitare moliretur? nonne illum damneret Principem, qui quemdam Fiduciarium suo Domino rebellem armis contra legitimum suum Principem sumptis protegere tentaret, fidemque juramento firmatam violaret: non ergo probatæ fidei historicis succenseat, si hanc agendi rationem in Ludovico redarguant: saltem inter Catholicos flagitiosum est, si Princeps Christianus juratam violet fidem, injustum bellum inferat,

rat, & Ecclesiam schismate dilacerare attentet; nam ejusmodi molimina Christiana lex comprobare abhorret, eaque unitati non modo *Theologicae*, sed & *moralis*, ac Christianæ adversari reputat, si autem Censor in sua Ecclesia ejusmodi ausus licitos, ac laudabiles haberi existimat, hanc inter, & nostram id discriminis intercedere sciat, quod in nostra a Christo Domino stabilitus sit cum debita subordinatione Ordo Hierarchicus, ubi alii sunt Apostoli, alii Doctores &c. variique juxta D. Pauli doctrinam Ordinum gradus, ubi unum membrum alterius munia non sibi arrogat, sed omnia Capiti suo unitate fidei cohærent, ac subduntur, & soli Petro, ejusque Successoribus datum est, ut oves pascant, & fratres suos in fide confirmet: in Protestantium vero Ecclesiis vigeat communis omnibus Spiritus privatus, ac proin inter sacra, & profana nullo facto discrimine Princeps pro suo arbitrio, ac judicio Ecclesiæ leges, ac doctrinas præscribere, immutare, & abrogare valeat. Verum quid pluribus hac in re differere juvat, cum id omnino certum sit, quod illud omne, quod in Pontificum, ac Romano-Catholicorum causa ex veritatis amore agitur, vel scribitur, & quicquid hi egerint, hæc omnia a nostro Critico, ipsique similibus ut abominanda, & execranda, ex adverso autem quidquid contra eos (ex invidia licet, ac conficte) agitur, vel

vel scribitur, tanquam justum, & laudabile proclametur.

§. VIII.

Futiles nostri Critici cavillatio.

Postea Criticus noster telum vibrat, quem autem illo feriat, ipse nescire videtur; ait enim: in der Vorred zum 33sten tom. pag. 18. erzählt der P. Alexander die gräßliche Mordgeschichte: das in Augsburg Urban Regius zu einer Kindbetterin gerufen worden, um sogleich nach der Geburt das Kind in bloßem Wasser (nicht in geweyheten) unter bloßem Himmel zu tauffen. Allein was geschieht? die Frau kommt auf göttliches Geheiß mit zwey Wechselbälken nieder. *Ecce monstra nutu Dei in lucem prodire.* Von einem solchen Mann kann man wohl erwarten, daß er den Kezern nicht günstig ist: quæ verba latine ita sonant. *In Præfatione ad tomum XXXIII. pag. XVIII. Pater Alexander horrendam cujusdam cædis historiam recenset, quatenus Augustæ Urbanus Regius ad quamdam puerperam vocatus fuisset, ut mox post partum infantem in simplici (non benedicta) aqua sub dio baptizaret. At ecce! mulier NUTU DEI duo monstra parit. De tali viro plane sperari potest, illum hæreticis haud propensum fore.* Hucusque meus Censor, qui tamen falso asserit, quod Pater Alexander hanc historiam retulerit; dum non ego, sed Auctor illius libelli, quem ex Imperialis Abbatiae Augustanæ annalibus anno. 1654. typis

typis editum in mea præfatione pene inte-
 gram adduxi, id suo tempore factum scri-
 bit. Forte ergo hic Berolinensis Cenfor ibi-
 dem hæc mea non legit verba: *Percipiamus*
hujus Scriptoris relationem, quæ ita incipit
 &c. Si autem lægit, cur contra me suam
 censuram ad hanc historiam extendit, quam
 ipse ab alio relatam affirmo? nonne po-
 tius præfatum libellum sua crisi perstringere
 debuisset? si autem idem opusculum, in
 quo de Protestantibus sane horrenda rese-
 runt, meæ præfationi fuisse insertum ægre
 fert, succenseat illis, qui talia tunc patra-
 runt, ut sine horrore, & novæ Reforma-
 tionis ignominia nostris temporibus per-
 legi nequeant. Porro qua de caussa Cen-
 for præfatum historiam appellet *Mordge-*
schicht, haud video; patratæ enim cædis
 mentionem Scriptor hic Augustanus om-
 nino non facit; cur autem hæc verba *nutu*
Dei minoribus literis excudi curavit? an justo
 judicio, aut in salutarem hujus Apo-
 statae ac Deo perjuri Præconis admonitio-
 nem hunc prodigiosum eventum Deum per-
 mittere, vel potuisse, vel voluisse negat?
 si primum asseruerit, tunc hæretico dete-
 rior est: si autem alterum dixerit, tunc id
 non factum, aut falso relatam probare de-
 buisset: quapropter si verum dicere fas est,
 ejus censura mere *λογομανία* esse videtur;
 quid enim Reipublicæ literariæ interest,
 an Pater Alexander, vel Anonymus Au-
 ctor

etor Augustanus recenseat hanc historiam: si enim falsa est, illam falsitatis convincere, atque ab hoc Auctore nequiter confictam, & a me improvide ex eodem adductam probare debuisset: si autem veritati innitur, tunc inutilis, & frivola est hujus Critici censura. Tandem ridiculum epiphonema in me contorquet, inquiens: von einem solchen Mann kann man wohl erwarten, daß er den Ketzern nicht günstig ist. Mira sane consecutio: quidam Scriptor aliquod prodigium nutu Dei factum recenset, & Pater Alexander libellum, in quo hæc historia continetur, rursus typis edi curavit: ergo Pater Alexander vir est, a quo sperare non licet, quod hæreticis faveat: si itaque ex ipsius Censoris mei ore isti homines sunt vere hæretici, certe a me sperare non potest, quod illis faveam; hæreticis enim favere etiam apud Protestantes nefas est: si vero hoc nomine Protestantes indigitare voluit, certus sit, quod non sim inimicus personæ, sed causæ; quippe Personas debitis Christianæ Charitatis, ac benevolentiae signis amplector, quoties id salva veritate, ac fidei honore fieri potest: ita mecum quoque omnes veri sentiunt Catholici, qui a Protestantibus sperare non audent, quod hi ipsis faveant, sed contenti essent, dummodo A catholici Sriptores erga illos communia charitatis Christianæ officia adimplerent, eosque, ac præcipue summos Pontifices,
& Ec-

& Ecclesiasticos viros non in omnibus suis
ferne Scriptis passim tot atrocibus calum-
niis, convitiis, & mendaciis impeterent,
ut, si cuncta scommata a ducentis, & am-
plius annis in eos effusa in unum collige-
rentur, integra exurgeret Bibliotheca, prout
Catholici Principes inter cetera Religionis
gravamina jam sæpius Ratisbonæ in Im-
perii Comitibus conquesti sunt.

§. IX.

Censor Julio II. Pontifici injurius.

Verum usque adeo insolens Pontifices
Romanos, vel Ecclesiæ Catholicæ de-
fensores convitiandi libido excrevit, ut e-
tiam ea, quæ in justam eorum defensionem
scribuntur, tanquam joci cachinis exhibi-
lentur; hoc spiritu animatus, insignis no-
ster Censor meam annotationem ad §.
LXXIII. Lib. CXXII. tom. 32. his verbis
carpit: nichts ist aber lustiger zu lesen, als
die Art, wie er sich auch des schlimmsten
Theils seiner Kirche J. E. eines unruhigen
Pabsts, wie Julius II. oder der unwissende-
sten Keßermacher, als der Köllnischen obscu-
rorum virorum annimmt. Den ersten warf
man mit recht vor, daß er den Frieden störe,
dieses giebt der P. Alexander den maylän-
dischen Bättern reichlich zuruck (tom. 32.
pag. 307.) *Hæc &c.* quæ verba latine ita
sonant: nihil vero lectu jucundius est, quam
illa methodus, qua pessima etiam Ecclesiæ sue
membra e. g. inquietum Pontificem Julium II.

vel

*vel ignorantissimos hæreticorum figulos, scilicet
 Colonienses obscuros viros propugnet. Horum
 primo jure merito objiciebatur, quod pacem per-
 turbet, hoc tamen probrum Pater Alexander
 copiose in Mediolanenses Patres rejicit tom. 32.
 pag. 307. „Hæc ac cetera temeraria verba,
 „aususque sacrilegos hi graculi a Basileensi-
 „bus corvis didicerant; nam nihil antiquius
 „schismaticis est, quam identidem vocife-
 „rari: Pax, pax! & non erit pax! cum
 „illi primi pacem perturbent, schisma
 „conflent, atque nutriant.„ Majori sane
 jure de Critico meo asserere possem: nihil
 lectu jucundius est, quam scribendi ratio,
 qua Berolinensis Cenfor etiam pessimos
 quosque, ac ignorantissimos suæ Ecclesiæ
 Scriptores sequitur, illos vero, qui veri-
 tatem in Catholicorum favorem propugnant,
 insectatur: Ergone Christiana charitas ejus-
 modi protestantibus suadet, ut totius Ro-
 manæ Ecclesiæ Caput pro arbitrio suo con-
 vitiis proscindant? qua fronte Cenfor no-
 ster Julium II. Pontificem inter *pessimos Ec-*
clesiæ Romano-Catholicæ Viros recensere,
 eumque tanquam inquietæ indolis homi-
 nem traducere valet? quo argumento, si
 eidem hæc probra juxta sanas criticæ ar-
 tis Regulas probandi onus imponeretur,
 impactam calumniam testatam reddere pos-
 set? si Romanum Pontificem tanquam
 Christi Vicarium agnoscere detrectat, sal-
 tem reverentiam eidem utpote tempora-*

lis etiam dominii Principi debitam non de-
neget: minus vero tam indigna juxta ac
falsa de eodem publice scribere præsumat.
Si primis Naturæ præceptis prohibemur,
ne quempiam infimæ etiam sortis hominem
tanquam malum proclamemus, nisi id evi-
dentibus constet testimoniis, qua temeritate
inter pessimos totius Ecclesiæ nostræ Viros
numerare audet supremum Ecclesiæ Prin-
cipem, de quo tamen nullum crimen, ob
quod publica hac ignominia affici mereret-
tur, valido testimonio comprobare potest.
Forte in calumniæ testes adducet nonnul-
los illius ævi Historicos natione Gallos:
verum si sani Critici partes explorare deside-
rat, ignorare non potest, quod ex Scri-
ptoribus ei, de quo scribunt, aperte in-
fensis nil firmum probari valeat. Non infi-
cias eo, quod Galli eo tempore, quo in
hunc Papam odio, atque invidia flagra-
bant, prorsus indigna de eo scripserint,
omnemque fuscitati belli culpam in eum
conjecerint: ast sedata rabie, agnitoque
errore, saniora edocti, tum ejus pietatem,
æquitatem, & moderationem deprædica-
bant, suumque crimen palam in Concilio
Lateranenſi detestabantur: rursus ergo con-
sulat Cenſor noster artis Criticæ regulas,
quibus præſcribitur, fidem non esse adhi-
bendam Scriptoribus, furore, vel vindictæ
impetu contra eum, de quo scribunt, ab-
reptis, sed potius sequendos esse illos, qui
a pri-

a privatis hisce odii affectibus alieni rem enarrant: jam vero ipsimet Protestantes Collectores universalis Geographici Vocabularii verbo Julius II. testantur, quod multa de hoc Papa spargantur, quæ tamen ægre fidem merentur: er soll, inquit ipsi, sonderlich der . . . Nachgierde, auch nicht minder dem Ehrgeiz ergeben gewesen seyn, daß er . . . die Schlüssel Petri in den Tiebers Fluß geworfen, und anstatt deren das Schwert Pauli genommen, ist zwar eine alte Sage, aber die gleichwohl, so viel bekannt ist, von keinen Scribenten, die eben zu selbiger Zeit gelebt, berührt wird, und die ersten, so davon melden, geben es allein für ein umgehendes Gerücht aus, daher eben nicht so gar leicht zu glauben ist. Num vero Scriptori licitum est, quemdam veluti vitiosum palam, ac certo traducere ex eo, quod unus, alterue Scriptor testetur: er soll gottlos, unruhig &c. gewesen seyn. At tamen dicet nobis Censor, quod multi Historici de inquieto hujus Papæ animo mentionem fecerint: nec id diffiteor, quinam vero fuerint hi Scriptores, ex Andrea Vittorello percipere non dedignetur: *NOVATORES* ait ille, *Julium communem quasi scopum, in quem calumniarum spicula conjicerent, sibi proposuerunt: in horum acie Plessæum collocabis, contra quem Coqueus, & Gretserus dimicarunt: non desuerunt putidi poetastri, a quibus scurrarum more, indigna*

epigrammata, mendaciis scitentia proculsa, quorum pars a Plessæo mysterio iniquitatis inserta.

Objicitur huic Pontifici, quod gesserit in pectore cor ferox, at inquit Olduinus: si ingenio miti ornatus, mitius egisset, tot urbes, oppidaque, quot tyrannorum avaritia iniuste ademerat, Ecclesiæ non recuperasset, & si veluti Princeps profanus tantum, & non Ecclesiasticus populis profuisset, inter illorum primos merito numeraretur, sed quia inter Sanctissimos, hoc est, inter Christi Vicarios, Petri-que Successores locum obtinebat, hujusce nævuli pergrandes labe interpretantur. Insuper Julius arma non sumpsit, nisi postquam prius toto, licet irrito conatu, pacem conciliare, bellumque avertere fategerat: nonne illum in ipso Pontificatus exordio ad pacandas Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ Provincias omnes animi nervos intendisse testantur ejus literæ ad Ferdinandum, & Elisabetham Hispaniæ Reges die 21. Decembris anno 1503. datæ? Maximilianum etiam Imperatorem, & Ludovicum XII. ad pacem, & arma in turcas convertenda sollicitabat, ut patet ex ejus literis ad Cardinalem Sanctæ Crucis Romæ 21. & 22. Decembris anno 1507. exaratis: pariter Ferrariæ Ducem, ut a Gallorum foedere desisteret, prius admonuerat, antequam in eum arma converterat: præterea Venetos paterna suavitate sæpius hortabatur (d) ut ablatas Eccle-

(d) Vide edict. Apost. l. 8. Brev. Romæ an. 1607.

Ecclesiæ Urbes restituerent, & quamprimum iidem tanquam obedientes filii sese denuo optimo Patri suo submiserunt, illos in gratiam mox recepit. (e) Nequidem in ipsum Franciæ Regem illico gladium stringebat, sed antea precibus, monitisque institit, ut idem rebelles Ecclesiæ filios ejus tutela tumidos, suo patrocínio non foveret, nec in pertinacia confirmaret: sprete autem hisce monitis primum Julius, quod lenitatis via non poterat, armis evincere nitebatur: summa insuper mansuetudine perfidos illos Cardinales, qui in nulla re a Julio læsi ab eo defecerant, ad officium revocare moliebatur, atque in eos tunc primum minas, pœnasque statuebat, postquam hi in sua pertinacia crescentes paterna monita spreverant, ipsamque Pontificis auctoritatem evertere nitebantur; non ergo Papa, sed hi ultronee pacem interturbabant. Profecto si Pontifex hosce ausus impune abire permisisset, a Censore nostro tanquam Papa vecors, ac jurium Ecclesiasticorum proditor audiret, dum vero libertatem Ecclesiasticam propugnat, ac ditionis Ecclesiasticæ conservandæ studio ardet, pessimis Ecclesiæ viris ab eo accensetur, ac veluti turbidæ mentis homo traducitur. Ita, quicquid Pontifices gerunt, semper a Protestantibus carpitur, non alia

g 3

ex

(e) Contin. Hist. Fleur. tom. XXXII, Lib. CXXI.

ex ratione, nisi quia id a Romanis Pontificibus, quibus infensi sunt, gestum est. Attamen liberaliter agamus cum Critico nostro, eique demus, quod Julius II. animo suo magis ad arma, quam ad Sacra propensus fuerit, num propterea inter nequissimos Ecclesiæ Catholicæ viros, schlimmsten Theil der Catholischen Kirche, recenseretur? num ea ex causa Galliarum Rex, ceterique Principes, qui adversus eum bella gesserunt, inter nequissimos Ecclesiæ Romano-Catholicæ Principes numerandi veniunt? longe mitius sentiunt Viri a partium studio alieni, quos inter Ægidius Viterbiensis in sua historia æquius de utroque tale fert iudicium: *Galli victores fuga trans Alpes salutis suæ consulere, jactantes, adversus pietatem non pugnandum: si quis illam vinceret, vel in ipsa victoria pœnas daret: ita victoriæ suffragium temperavit Deus; ut uterque victus esset, uterque vicerit; ne plane, vel superbiret victor, vel victus interiret; uti uterque disceret, hic Sacris, non armis fidere; ille Sacra armis non oppugnare; alter bellis, alter templis parceret, uterque ab injuria abstineret.* An vero Pontifices pro tuendis suis juribus, ac ditionibus juste bella gerere valeant, Censor noster, si ei suæ Ecclesiæ Doctores desunt, consulere poterit Bellarminum de potestate summorum Pontificum in rebus temporalibus adversus Barclajum cap. II. Ex his ergo concludat benevolus Lector, an nimis copiosa

copiosa mensura Mediolanensibus (quos Censor Patres vocat, quia in Papam rebelles erant) remensus fuerim probrum, quo Julium II. nonnulli Novatores unacum meo Critico pacis turbatorem, & inquieti animi hominem convitiabantur. Denique Berolinensis Censor iniquo fert animo, quod Colonienſes Theologos, (quos pro ſua humanitate inflatos idiotas, hæreticorum figulos, obſcuros viros, unwiffende Reſer-macher, aufgeblaſene Dumm-Köpf appellat) defendendos ſuſceperim: alit de hoc inferius redibit ſermo.

§. X.

*Cenſoris ineptiæ de unitate Theologica,
& morali.*

Tandem hanc ſuam nœniam prudentiſſimo admodum epiphonemate claudit, in-
quiens: ſo muß freylich ein Mann ſprechen,
der den Grundſätzen des römischen Hofes ſo
ergeben iſt, als der P. Alexander, ſeu latine:
*hæc utique loquela eſſe debuit illius viri, qui
Romane Curie principiis tantopere addictus eſt.*
Forte Cenſor ilte me prævenire voluit, qui
meliori jure perpenſa ejus cenſura exclamare poſſem: ita ſane loqui oportet ejus-
modi virum, qui Lutheri ſui principiis tantopere addictus eſt; juxta hæc enim cum
Luthero primo fidei ſuæ figulo, atque Architecto ſummus Pontifex tanquam ſceleſtus
nebul,

nebulo, caput maledictæ Ecclesiæ (f) spurcissimis convitiis est lacerandus. Eadem quoque Proto-parentis sui principia indefesso prorsus in Pontificibus infectandis studio sequebantur ejus Discipuli, ac præprimis anno 1582. Georgius Nigrinus (g) Sebastianus Franchus, anno 1565. (h) Joannes Giffenius anno 1618. (i) Joannes Gerardus anno 1634. (k) Jacob Heylbrunner (l) Joannes Wolffius anno 1671. (m) Centuriatores Magdeburgenses, Stephanus Zegedinius anno 1592. (n) Nicolaus Hönigerus anno 1586. novissime vero Eberardus Weismanus, Godefridus Ludwigen, innumerique alii, qui propudiosis, nefandisque convitiis, ac mendaciis summos Pontifices, Cardinales, Clericos, Monachos, omnesque Catholicæ fidei addictos proscindere non erubuerunt, ac propterea inter suos magnum nomen sibi acquisierunt,

Jam vero ex meo Critico scire optarem, an in hisce viris *Theologica unitas* viguerit, vel

(f) Oper. Luther. tom. 8. Altenb. wider das Pabstthum vom Teufel gestiftet pag. 454. 456. 455. 496. 497.

(g) Papistica inquisitio.

(h) Chronic. Rom. hæretic. p. 3.

(i) In suo Papismo disp. 8. q. 5.

(k) Confess. Cath. l. 1. p. 1. art. 3. cap. 6.

(l) Unkatholisches Pabstthum.

(m) Tom. 2. op. edit. Francof. anno 1671. pag. 191.

(n) Speculum Rom. Pontif.

vel an non potius, ne dicam, *moralis unitas*, sed Spiritus diffensionis, invidiæ, ac maledicentiæ potiores partes habuerit: *wobey alle feindselige Gesinnungen genug Spielraum behalten haben.* Haud satis tamen mirari possunt Viri saniori iudicio præditi, quod Protestantes, quotiescunque Romanæ Sedis jura defendi conspiciunt, illico in furias acti cuncta nonnisi ex *immodico* in Romanam Curiam studio dicta, absque ulteriori veritatis discussione credant. Equidem jam primis nascentis Lutheranismi annis, postquam juxta eorum preces Concilium liberam, Christianum, & Germanicum Tridenti haberetur, ut etiam illud declinarent, nil aliud promptum, paratumque habebant, nisi ut dicerent, hujus Synodi Patres nimium Curie Romanæ esse addictos: eapropter nequaquam Censori meo irascor, quod (si tamen sui asserti sensum percepisset) me Romanæ Curie (melius dixisset, fidei Catholicæ veritatibus) adeo addictum esse scripserit; sum etenim (& in hoc gloriator, ac tripudio) obsequiosus Christi Ecclesiæ Romano-Catholicæ Filius; nec enim me Christianum esse crederem, nisi in Ecclesia eo modo, quo a Christo fuit stabilita, essem: evidenter autem me edocent sacri Evangelii verba, quod Christus Ecclesiam suam sicut sibi, ita & se absente cuilibet ejus vices gerenti in terris subjectam instituerit, quin tamen continuum

suum præsidium, ac supremum illius imperium in cœlis usque ad consummationem seculi gerere desinat. Hæc sunt fundamentalia Romanæ Curiaë principia, juxta quæ in meis annotationibus ea redarguebam, quæ labefactata fide Orthodoxa, læsaque veritate inconsulte, aut malitiose conscripta repereram, nullatenus tamen veras corruptelarum labes, quæ tamen non Ecclesiam, sed nonnulla Ecclesiae membra maculant, excusare, minus vero approbare intendebam: proin Berolinensi meo Cenfori compatior, quod duntaxat inter suos educatus, ac nil nisi antiquam nœniam unacum lacte materno haustam cantare edoctus, improvido prorsus calamo Catholicorum oculis subijcere non dubitaverit, quod fundamentalia Romanæ Curiaë principia eo unice colliment, ut Theologica conserveatur unitas, nach diesen (des Römischen Hofes) Grundsätzen dringt man auf nichts, als auf die theologische Einigkeit. Certe Cenforem nostrum falsitatis convincerent ex ipsis Protestantibus præcipue Anglis quamplurimi, qui Romanam Aulam lustrantes longe aliud de ea judicium inde reduces tulerunt, quam a suis Pastorculis a primis unguiculis hauserant. Ego ipsemet per integros octodecim annos cum pluribus variarum Regionum Protestantibus, præcipue vero cum Illustrissimo Berolinensi Domino L. B. de M. Romæ conversatus, non semel ingemiscen-

miscentes percepi, quod tam turpiter delusi de summo Pontifice, Cardinalibus, Ecclesiasticis, Catholicis, ipsisque Ecclesiæ Catholicæ principiis, nescio quæ abominanda a suis Præconibus suggesta imbiberint, usque dum de ejusmodi calumniis, earumque falsitate proprio experimento certiores facti præjudicia a teneris hausta detestari cœperint; optarem igitur, ut Censor noster de fundamentalibus Catholicæ Religionis, ac Romanæ Aulæ principiis magis exactam haberet notitiam; tum enim sciret, quod juxta SS. Hieronymum, Hilarium, & Chrysostomum, Origenem, & Augustinum, Cyprianum, aliosque Ecclesiæ primitivæ Patres, divina Pontificii Primatus instituendi ratio, & finis fuerit non tantum Theologica, sed moralis quoque totius Ecclesiæ unitas: si autem horum auctoritatem revereri detrectat, ipsosmet consulat Protestantes, ex quibus hujus rei veritatem percipere poterit. Et quidem ipsemet Calvinus (o) asserere non dubitabat ad conservandam fidei unitatem in veteri testamento necessarium fuisse, ut Judæis unus Antistes præficeretur, quem omnes respicerent, ut melius in unitate continerentur, & alibi inquit: (p) quod Presbyterani ex suis unum elegerint, ne ex æqualitate dissidia nascerentur. Lutherus quoque ajebat:

volo

(o) Lib. 4. Instit. c. 6. §. 2.

(p) c. 4. n. 2.

(q) volo & ego Romanum Pontificem esse primum omnium. Hugo etiam Grotius (r) hæc habet: Ordo sive in partibus, sive in toto continetur in Principatu, seu Præpositi unitate, & hoc est, quod in Petro Christus nos docuit hic ordo semper in Ecclesia manere debet, quia semper manet causa, id est periculum a schismate. Præterea haud absimilia docet Cartwrightus (s) si necessarium est, ait ille, ad unitatem in Ecclesia tuendam unum Archiepiscopum aliis præesse, cur non pari ratione toti Ecclesiæ UNUS præerit Archiepiscopus? Cowellus vero Calvinista (t) fatetur, quod unum ceteris præponi necesse sit ad evitanda schismata, & dissensiones tollendas imo ipsi duodecim Apostoli vix satis inter se convenissent, nisi unus (Petrus) ceteris præfectus fuisset. Tandem Hospinianus (u) de Joanne Andrea Lutheranorum Principe ait: demonstrare conatur statum tranquillum tueri difficile esse, nisi ad supremum Pontificem, & Administratorem rerum summa deferatur, hinc Hookerus (x) scripsit: hoc unum sat scimus tam natura, quam experientia,

(q) Epist. ad Emserum.

(r) In Voto pro pace Eccles. art. 7. tom. 4. p. 658. edit. Basil. 1731.

(s) In defensione Wirgisti pag. 390. & in secunda Repl. part. 1. p. 582.

(t) Exam. Doctrinæ contra actionem causæ Innocent. fol. 106. & 107.

(u) Hist. Sacram.

(x) Eccl. Polit. in Præf. Sect. 6. fol. 26. & 38.

tia, quam ipsa Scriptura edocti, contentioni-
 bus istis (circa fidem) tandem finem impo-
 nendum esse, definitive alicujus judicis sententiæ
 nos submitiendo, cui neutra litigantium pars
 sub quovis prætextu contradicat alio-
 quin semper confusio erit, nec spes ulla pacis
 consequendæ. Leibnitius quoque (y) ex jure
 Divino descendere ait supremum Ecclesiæ
 Magistratum spirituales, huncque dire-
 ctoria potestate omnique necessaria ad explendum
 munus pro salute Ecclesiæ agendi facultate in-
 structum, & alibi (z) fatetur, profuisse in-
 terdum Pontificum Romanorum curam pro Ca-
 nonibus & Christiana disciplina, ne ex quo-
 rundam rebellione dissidia oriantur. Et si
 ergo Censor noster cum suis supremi Pri-
 matus institutionem ab ipsomet Christo de-
 rivare nolit, fateatur necesse suorum etiam
 testimonio convictus, quod saltem hic Pri-
 matus a Papa, Romana Aula, vel Ecclesia
 institutus ad conservandam moralem, ac
 fidei unitatem collimet: ignorans igitur
 peccavit bonus hic Vir, dum juxta Ro-
 manæ Aulæ fundamentalia principia unice
 Theologicam unitatem urgeri incautius
 scripserat; si enim per Theologicam uni-
 tatem communem Theologorum consen-
 sum etiam circa res nondum definitas, nec
 universalis Ecclesiæ judicio damnatas in-
 telligit,

(y) Tom. 1. epist. edit. Lips. anno 1734. epist. 8.
 pag. 55.

(z) In præfat. Cod. Jur. Gent. diploma.

telligit, hanc unice procurari falso asseruit; quippe Romanæ Aulæ principia cuius in rebus mere Theologicis sanam, ac prudentem relinquunt sentiendi libertatem, ita, ut quis suam opinionem, dummodo nec fidei, nec bonis moribus adversetur, pro sui iudicii ratione defendere queat: non equidem effrenata mentiendi, calumniandi, ac confingendi libertas, quæ nimium apud adversarios nostros invaluit, Catholicis impune conceditur, suum tamen iudicium sanæ rationi, & fidei principiis innixum, licet id ab aliorum sententia discrepet, pandere nulli est prohibitum: non ergo ea est unitas, cui Romanæ Curiæ principia præcipue insistent: sciscitetur criticus noster ex quolibet rudissimo Catholico, quænam unitas Ecclesiæ Romano-Catholicæ propria sit, proin quam Romanus Pontifex vel maxime urgeat, & me hercle! nullum audiet, qui suam Ecclesiam unitati Theologicæ insistere respondebit, omnes autem unanimi ore profitebuntur, quod Catholica Ecclesia sit una, sancta, Catholica, & Apostolica, seu quod idem est, quod Ecclesiæ unitas propria sit *unitas fidei*, qua omnes fideles in unius veræ fidei professione convenire debent, eamque sequatur & *unitas charitatis*, qua cuncta Ecclesiæ membra sub uno capite visibili inter se eodem pacis, & communionis vinculo copulari debent. En hæc est moralis unitas, quæ juxta Aulæ
Roma-

Romanæ principia urgetur, & quam Criticus Berolinensis nostræ Ecclesiæ abjudicare nititur, quia forte illam nequaquam in sua Ecclesia invenit; hujus enim principia sunt spiritus privatus, quo cuilibet Principi, Pastori, & Doctori æquali jure, ac cuivis rustico uti licitum est, proin quivis ipsos libros symbolicos, si suo spiritui dissoni videntur, rejicere, corrigere, atque in aliam formam detorquere libere valet, quin ipsi ejusmodi Religionis *Κριτικοί* a suis Pastoribus jure redargui possint: inde vero tot ferme Sectæ fuerunt exortæ, quot Provinciæ, quot capita, ac quivis perspicacioris ingenii Theologus in suam sectam primotam absonas *ἀκυρολογίας* insperfit, ut exinde nova demum ferme Religio enasceretur: revocet, quæso, Censor noster in mentem, ac res dissensiones, quas Samuelis Huberi Bernatis errores ejusque confessio, quam Polycarpus Lyserus hæreticam proclamabat, suscitaverant: recolat pudenda in rebus fidei dissidia inter Lutherum, & Carolstadium, & Zwinglianos circa Eucharistiam, totque confessiones contrarias variis in locis editas, totque colloquia in pluribus Regnis nonnisi cum majori dissensionum incremento habita, adeo, ut ipsimet Protestantes hujus controversiæ feriem appellent *Historiæ suæ partem omnium tristissimam, scandalosissimam, intricatissimam, quæ sine profundo animi dolore, & humiliatione coram Domino sine nausea,*

sea,

sea, & indignatione a nemine pio, & Christiano legi potest, cuicumque etiam parti sit addictus, & Communioni Ecclesiasticæ conjunctus. Nonne vivente adhuc Luthero Melanchton circa cœnam, aliosque articulos a suo Magistro cum plurimis Discipulis dissensit, post obitum vero Lutheri novam Sectam pro-
 cudit eorum, qui Crypto-Calvinistæ nominabantur? Taceo dissidia Agricolæ Islebii, Osiandri, Matthiæ Flaccii, Huberi, Hobbessii, Carpzovii, Böhmeri, aliorumque quam plurimum, qui omnes novam Sectam procudere nitebantur. Non dedignabitur Censor noster pervolvere Historiam Loescheri *de motibus Religionis*, ubi dissidia in Gallia, Anglia, Bohemia, Helvetia, Silesia, Genevæ, alibique suscitata edocentur, quod Sectæ suæ principia nequidem unitati Theologicæ, ne dicam morali insistant. Si vero in Ecclesia etiam Catholica dissensiones, imo & hæereses emanasse dixerit, minime inficias ibo, nunquam autem demonstrare poterit, quod ejusmodi hæretici, ac schismatici ab Ecclesia Romano-Catholica intra purissima hujus Matris viscera fuerint retenti; hi enim *ex nobis quidem prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis* (a) hinc excommunicationis

(a) 1. Ioan. c. 2. v. 19.

tionis pœna ab Ecclesiæ corpore tanquam putrida membra fuere resecta.

Præterea non ipsius Religionis Catholicæ principia ad hæc dissensiones, credendi libertatem, novarumque Sectarum fabricam ex natura sua inducunt, sed potius unius, ac infallibilis Judicis auctoritas, eidemque debita omnium fidelium subjectio novam fidem in eadem Ecclesia procudendi libertatem evertit. Ex adverso autem quæcunque alia Ecclesia intra sua viscera nutrit, & fovet variarum Sectarum Architectos, imo ipsamet hujus novæ Ecclesiæ principia, v.g. Spiritus privatus, Sacras Scripturas juxta cujuslibet spiritum interpretandi libertas, independentia a definitiva unius infallibilis judicis Sententia, ac demum cujuslibet Confistorii, Synodi, vel libri Symbolici definitioni sub conscientiæ libertatis prætextu contradicendi facultas, impunitasque, hæc, inquam, fundamentalia Protestanticæ Ecclesiæ principia primo circa fidei res pariunt contentiones, postea schismata, ac demum tot novas Sectas, quot capita: quippe sine infallibili, ac visibili judice, *sine tali Primatu exiri a controversiis non potest, sicut hodie apud Protestantes nulla est ratio, qua ortarum inter ipsos controversiarum reperiatur finis.* (b) Erudite Cen-

(b) Loc. cit. p. 695.

Censor, hæc non sunt mea, sed sui Hugonis Grotii verba: adeo nempe ingenue loquuntur ipsimet Ecclesiæ nostræ hostes, dum veritatis evidentia convicti dilaceratæ suæ Ecclesiæ statum deplorant. Cum his ergo Criticus noster potius ingemiscat, ac profiteatur, quod in sua Ecclesia, ne dicam, *moralis*, sed nequidem *Theologica* reperiat^r unitas, ubi Ecclesiæ membra visibilia nulli Capiti visibili subjecta sunt, ac suæ Ecclesiæ duntaxat obediunt illi, qui vel ob ignorantiam, vel ob sua præjudicia resistere nolunt, vel nequeunt: interim vero membra etiam in fide discordantia intra Ecclesiæ suæ sinum tolerare coguntur, cum hujus Ecclesiæ principia nec excommunicationis severitatem, nec Ecclesiasticam vim coactivam, utpote conscientiæ libertati adversam admittant, proin etsi ratio, & experientia moralem unitatem tanquam unicam, veram, & fundamentalem deponerent, hanc tamen unitatem ipsa hujus Ecclesiæ principia excludunt, nunquam ergo inter illos esse poterit unitas charitatis, ubi deest unitas fidei, illa vero haberi nequit, ubi sentiendi ac credendi libertas conceditur; nisi enim *omnes idem sapiant, eandem charitatem habentes unanimes, id ipsum sentientes*, (c) & nisi *occurrant omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei . . .*, necesse

(c) Ephes. 4. v. 13.

esse est, ut sint parvuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ, (d) superba vanitatis loquentes, qui pelliciunt in desideriis carnis luxurice eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. Quod vero in Protestantium Ecclesia nulla, nec moralis, nec Theologica unitas reperiatur, sed mera confusio, ac in ipsis sectæ suæ articulis continua immutatio, varietas, dissensio, & dissidia vigeant, testem advoco hujus ipsius Ecclesiæ haud contemnendum, nimirum Joannem Leonardum Fröreisen Sacræ Scripturæ Doctorem, & Argentinensis Capituli ad S. Thomam Canonicum, & supremum Parochum (uti eum vocant) oberster Pfarrer, qui dum Argentinensis Universitatis Rector jam tertia vice nominabatur, anno 1743. die 9. Maji in Aula Academica orationem habuit, in qua miserum Ecclesiæ suæ statum pathetice descripsit: cum vero hæc oratio ad manus meas, jam ex latino in Germanicum idioma a quodam ipsius Auctoris amico translata pervenerit, hinc eam omni integritate in eadem hac lingua huc adduco: ita igitur hic Rector perorabat: Weil ich bey Antretung dieses rectoralischen Amtes nach altem Gebrauch eine kurze Rede halten solle, bin ich gestunet, was weniges

h 2

34

(d) 2. Petri 2. v. 18. & 19.

zu sagen von den in gar vielen Orten armseligen Zustand der sich zur Augspurgischen Confession bekennenden Kirche, bitte inständig, sie wollen es mit gütigen Ohren anhören.

Weil ich gesinnet bin zu sagen, wie armselig es in gar vielen Orten siehe mit der sich zur augspurgischen Confession bekennenden Kirche, muß ich vor allem warnen, daß ich nicht rede von ders innerlichen Zustand, oder von der Lehre, welche unsere Kirche in denen sogenannten symbolischen Büchern bekennet, als welche mit der göttlichen Offenbarung eintrifft. Ich meyne auch nicht, daß etwas abgehe bey der Darreichung deren Sacramenten, als welche der Einsetzung des Heilandes ähnlich ist: bilde mir also ein, unsere Kirche seye der Materie nach rein, und glücklich, halte sie aber vor armselig nur wegen der Form der Regierung und äußerlichen Zustandes, welcher wahrhaftig in vielen Orten nicht armseliger seyn könnte, dann man findet in derselben kaum einen Schatten jener Kirchen-Zinigkeit, welche Paulus erfordert in der Epistel an die Ephesier am vierten, wo er also schreibet: Aus welchem der ganze Leib, der Kirche nemlich, zusammengefüget, und ein Glied am anderen hanget, durch alle Gelenke, dadurch eines dem andern Zandreichung thut, nach den Werken eines jeglichen Gliedes in seiner Mase, und machet, daß der Leib wachset zu seiner selbst Besserung. In diesen Worten stellet uns Paulus

lus

Ius vor die Form, der alsdann noch frisch gegründeten christlichen Kirchen unter dem Sinnbild eines menschlichen Leibes, dessen Glieder solchermaßen aneinander hangen, daß wo nur eines derselben verwundet wird, alle übrige den Schmerz empfinden, und dem Verwundeten allezeit zu Hülffe kommen. Das Paulus hier rede von einer sichtbaren Kirche, und folglich auch von der sichtbaren Einigkeit und Hülffe, welche die Kirchenglieder einander leisten sollen, ist nicht nöthig dazuthun: dann er redet von einer Kirche, in welcher sichtbare Lehrer, die sichtbarlich von einander zu unterscheiden waren, könnten gesehen, und gewiesen werden, unter welchen nemlich dazumahl die eine Aposteln, die andere Evangelisten, andere Hirten, andere Unterweiser oder Lehrer waren. Demnach ist es Augenscheinlich, das Paulus zur Form der sichtbaren Kirche als was nöthiges erfordere, eine sichtbare Hülffe, welche die Kirchenglieder einander zu leisten haben, gleichwie an dem menschlichen Leib die Zusammenfügung der Gebeiner, kraft welcher ein Glied dem anderen kann zu Hülffe kommen, eben so nothwendig erfordert wird als der Umlauf oder die Circulation des Geblütes, und eine gesund- und nahrhafte Speiße und Trank; dann die bloße Einigkeit in der Lehre, und in dem Gebrauch göttlichen Wortes, und der Sacramenten ist gegen der Kirche zu rechnen anders nichts, als was gegen dem

Leib zu rechnen ist, der Gebrauch der Speise und Trank, und der Umlauf des Geblütes. Wann nun in der sich zur augspurgischen Confession bekenneten Kirche kaum ein Schatten solcher äußerlichen Einigkeit, und sichtbarer Hülfe, welche die sonderbare Kirchen als Glieder eines Leibes einander leisten sollten, mehr übrig ist, so ist ja augenscheinlich, daß auch in der gesammten Kirche kein Schatten der von Paulo erfordereten sichtbaren Kirchenform mehr übrig seye; und ist dieser schier gar gänzliche Untergang einer sichtbaren Kirchenform der Ursprung aller Armseligkeiten, die in unserer Kirche so oft bemerket werden.

Diesen kläglichen Untergang müssen wir zuschreiben denen Reformierern der Kirche, weil sie nur sorgfältig waren die reine Lehre, und rechte Ausspendung der Sacramenten wieder herzustellen, anbey aber gar nicht gedachten eine kluge Verordnung der Kirchen-Regierung, absonderlich vor die kleine Particular-Kirchen einzuführen, ohne welches die äußerliche Einigkeit unmöglich kann erhalten werden, sie machten es wie Leib- und Wundärzte, die ihnen zwar ließen angelegen seyn, das Fleisch, das Geblüt, und dessen Circulation, den Magen, die Art, und Gattung der Speisen, und des Tranks, und deren mäßigen Gebrauch, und wie eine schädliche Wunde recht möge gehehlet werden; dabey aber vernachlässigen wollten die Gebeine; welche nicht nur auseinander, sondern auch

auch an dem ganzen Leib zerbrochen, und zertrümmert wären: ja nicht einmal gedenken wollten, wie solchen Kranken zu rathen, damit er seiner Glieder nach Bedürftigkeit gebrauchen, einen mit dem anderen zu Hülfe kommen, wieder Stehen, Gehen, und sich wehren könnte. Es waren die Reformierer zwar tüchtig ein so großes Werk aufrechtig, und beherzt anzufangen, aber wegen ihrer gar zu großen, und vielfältigen Unfürsichtigkeit, welche aus dem, was ich noch zu sagen habe, augenscheinlich soll erwiesen werden, waren sie nicht im Stand diesem Werk einen klugen Fortgang zu verschaffen, und es zu einem glücklichen Ausgang zu bringen: wären sie aber fürsichtig genug gewesen, so hätten sie der augspurgischen Confession als einer Glaubensregel, und Bekannntuß auch beygefüget eine Verfassung der Regierungsregeln, sowohl deren, die sie beybehalten, oder von neuem einführen, als auch deren, die sie ausmustern wollten, damit der Kaiser und das Reich hätten erkennen können nicht nur, was man glauben, und lehren, sondern auch nach welchen Regeln man die reformierte Kirchen regieren wollte, wie sie es von Rechtenswegen, und als kluge Leuthe hätten thun sollen. Wann solches von ihnen geschehen wäre, so hätten sie nicht nur ihrer Schuldigkeit ein Genügen, sondern auch einen gefälligen Dienst geleistet, denen Lehrern nachfolgender Zeiten, und Rätthen der

Kirchenregierung, welche an solcher Verfassung der Regierungsregeln hätten haben können eine Art allgemeinen geistlichen Rechts: aus Abgang dessen sie nun bey Verwaltung ihrer Diensten mit unglaublichen, und unaussprechlichen Verdrüßlichkeiten müssen gequälet werden. Wie armselig wäre nicht ein weltlicher Rechtsgelehrter, Exempelweiß, ein General-Advocat, wann er bey seinen Anbringungen, und Berathschlagungen sich nur allein halten müßte an gewisse besondere Verordnungen, und wo diese nicht zulänglich wären, ihm verboten seyn sollte das allgemeine Recht auch anzuzeigen, wie es verboten ist denen geistlichen Rechtsgelehrten nicht zwar durch einige Gesetze, sondern wegen Abgang eines allgemeinen geistlichen Rechts. Daher kommet, daß hier eine Particular-Kirche ihr nach denen Carpzovianischen, hier eine andere nach denen Hobesio-Thomasianischen, da eine dritte nach denen Titianischen, dort eine vierte nach denen Böhmertianischen, anderstwo ein anderer nach andern Grundsätzen ein besonderes geistliches Recht schmiedet zum großen Spott unserer Kirche. Es haben also die Reformierer närrisch, und unfürsichtig gehandelt, daß sie die alte Kirchengesetze abgestellet, und nichts gewisses, noch allgemeines, vielweniger was bessers davor verordnet haben, als hätten sie nicht gewußt jene bey dem geringsten Volk bekannte Regel, die da mahnet,

mahnet, man solle ein altes, und folglich nicht mehr gar sauberes Kleid nicht wegwerfen, man habe dann zuvor ein neues, und besseres anzuziehen; dann es ist ja doch besser ein Kleid an dem Leib haben, daß nicht gar sauber ist, als bloß und nackend herum ziehen: so aber habens gemacht die Reformierer mit dem allgemeinen geistlichen Recht, wie jedermann bekant, und wie die Particular-Kirchen, voraus die Kleinere, welche kein Consistorium, noch Kirchen-Convent haben, heutiges Tages zum öfteren mit ihrem unersetzlich- und unvermeidlichen Schaden erfahren; welches ich mit vielen höchst kläglichen Exempeln darthun könnte, wann es die Zeit erlaubte.

Darum, wann die Reformierer fürsichtig genug gewesen wären, so hätten sie die Bischöfliche Regierungsform beybehalten, wie in Schweden, und Dännemark geschehen, oder wenigstens ein höchstes, und allgemeines Consistorium absonderlich denen kleinen Particular-Kirchen zum besten aufgerichtet, vor welchem hätten können beygelegt werden alle Kirchen-Zänke, die nicht so sehr die Lehre, welche freylich Gott allein durch sein Wort schlichtet, als die Regierungsordnung, gebühre, Zucht, Berufung, und Abdankung deren Kirchendienern, und andere geistliche Händel betreffen, und einen menschlichen Richterstuhl nicht nur dulden können, sondern nothwendiger Weise erfordern.

dem. Weil aber beydes ist unterlassen worden, so ist die sich zur augspurgischen Confession bekennende Kirche in Deutschland, so viel die Verständnuß, welche die Particular-Kirchen miteinander pflegen sollten, und das geistliche Recht belanget, gleich worden einem Wurm, der in unterschiedliche nicht nur groß, und lange, sondern in winzig-kleine Stücklein zerschnitten wird, die zwar alle sich ein wenig noch regen, so lang ihnen noch einige Lebenskräften überbleiben, aber auch alle nach und nach das Leben, und mit dem Leben die Bewegung verlieren. Sie ist gleich worden einem Heer, welchem weder Macht, weder Kriegswissenschaft, weder Proviant, weder Waffen, noch Muth, zum Streiten abgehet, daß aber stehet unter vielerley Generalspersonen, unterschiedlicher Würde, die auch unterschiedliche, oft einander zuwiderlauffende Befehle ertheilen, zuweilen auch sich gar zu nichts zu entschließen wissen, und keiner dem andern untergeben ist. Sie ist gleich worden einem Kriegsregiment, wo ein jeder sich kleidet, wie es ihm gefällt, und nicht nur ein jeder Hauptmann, sondern auch ein jeder Lieutenant, ein jeder Fändrich, Sergant, und Gefreyter selbst Herr, und keinem unterworfen seyn will. Sie ist gleich worden einer Stadt, deren Inwohner zwar mit Speiß, und Trank versehen, aber mit keinem burgerlichen Band untereinander vereiniget seynd, also, daß nicht nur ein jeder

Hause

Hausvatter, sondern auch eine jede Hausmutter ihr das Völkerrecht beylegen, und nach eigenem Gutduncken leben will.

Man wirft zuweilen der römischen Kirchen, wiewohl ohne genugsamen Grund vor, sie habe vor Zeiten ein Weib zum Pabst gehabt. Es hat aber das Ansehen, als könnte man solches unserer Kirche mit mehrerem Schein der Wahrheit vorwerfen; dann es kann in unserer Kirche auch ein Weib die päpstliche, und bischöfliche Rechte verwalten, wann es nur Geld genug hat ein unmittelbares Dorf zu erkauffen, dessen Inwohner sich zur augspurgischen Confession bekennen, und dessen Herrschaft zugleich das Recht des Kirchenplakes habe. Was ich da sage, will ich mit einem Exempel erläutern.

Eine Wittwe hatte unter andern Gütern hier in Elßaß auch ein Dorf, dessen Pfarherr gegen Ende des verflossenen Jahrhunderts zu einer Helfersstelle in hiesiger Stadt beruffen wurde, und ihm also ein Nachfolger in der Dorfsparrey mußte gegeben werden. Weil nun diese Wittwe nicht nur die Herrschaft, sondern auch berechtiget ware die Pfrunde zu vergeben, wurde sie von denen Bauern dieses Dorfes inständig ersüchet, sie möchte ihnen doch nach denen gehaltenen, und sogenannten Probpredigen der vier Werbern die Wahl gütigst überlassen. Sie versprache es, und sagte ihnen ihr Begehren zu; nachdem aber die Stimmen der Bauern waren eingesammet worden, ernannte

ernannte

ernannte sie nicht den, welcher die meiste Stimmen hatte, sondern den, welcher ihr am besten gefiele. Hat nicht dieses Weib die päpstliche und bischöfliche Obermacht im höchsten Grad gelübet? vielleicht giebt es auch heut noch Weiber, die durch ihre Männer, über welche sie völlig herrschen, die päpstliche, bischöfliche, priesterliche, und Pfarrgewalt wirklich üben, ob schon ein so frevelhafter Eingriff, wo er vorgehet, so schändlich ist, daß er nicht verdienet in diesem ehrbaren Ort gemeldet, oder wiederlesget zu werden. Wie vielfältig, und großes Elend aber aus gedachter Trennung, und Eigenmacht der Particular-Kirchen schon entstanden seye, ist kaum mit Worten auszusprechen.

Das erst- und schlimmste ist, daß jedermann erlaubt ist in Sachen, die zum geistlichen Recht gehören, allerhand schädliche, und ärgerliche Sätze, und Meynungen zu verfechten; dann es seynd in unseren Kirchen gefunden worden Doctores nicht nur unter denen Juristen, sondern auch Theologi, welche sich erkühnet haben zu Lehren, eine jede Particular-Kirche habe mit Bewilligung des Landherrns völlige Gewalt nicht nur anstatt des ersten Tages der Woche, welchen die erste, und allgemeine Kirche aus erheblichen Ursachen zum Sabbath des neuen Testaments unter denen sieben Tagen erwählet hat, uneracht dieses allgemeinen, und stetes gehaltenen Gebrauche, den zwayten, dritten, vierten, fünften, oder sechsten Tag hierzu nach Belieben zu bestimmen, sondern auch anstatt

statt jedes siebenden, den achten, oder neunten Tag zur Ruhe, und Sonntag einzusehen. Wann solches gelten soll, so folgt von selbst, daß auch einer jeden Particular-Kirche mit Einwilligung des Landherrns, welcher päpstliche, und bischöfliche Gewalt haben soll, nicht weniger erlaubt seye die priesterliche Eheinssegnung abzustellen, und alles aufzuheben, was zu alten Zeiten, und aller Orten gebräuchlich ware, und zu Erhaltung guter Ordnung, und der Ehrbarkeit in der Kirche unumgänglich nöthig ist. Wer siehet aber nicht, was Elend, und Jammer aus dergleichen Sätzen erfolgen müsse? Es würden daraus entstehen die größte Strittigkeiten wegen des Erbrentens der protestantischen Fürsten, die gar schwerlich würden zu schlichten seyn. Wie wahr solches seye, ist genugsam zu ersehen an den so weit bekannten Streit wegen der mumpelgardischen Erbschaft. Wer in denen aus Gelegenheit dieses Streits in Druck herausgegebenen factis und Memorialien lieset die so vielfältige, schnurgrad gegen einander lauffende, öfters auch recht läppische, und vermessene Sätze, Meynungen, Berathschlagungen, und Antworten unserer Theologen, und Rechtsgelehrten über die priesterliche Einsegnung, und was zu derselben Gültigkeit erfordert wird, über die Dispensationen, absonderlich in selbst eigener Sache, über die Ehescheidung, und andere dergleichen Dinge, die zum geistlichen Recht gehören, der wird, so er sonst noch ein Stücklein christlichen Eifers

Eifers

Eifers in ihme hat, nicht ohne verdrüssigen Unwille sehen, wie einige Doctores unserer Kirche gar kein Bedenken getragen, den von andern in ihren ärgerlichen Lehrsätzen herausgewagten Probabilismum oder besser zu sagen, den gröbsten Scepticismum in der That, und in den Werken getrieben zu haben, welche solcher zaumlosen Ausgelassenheit hätten können überwiesen, und öffentlich darüber bestraffet werden, wann ein allgemeines geistliches Recht bey uns vorhanden wäre. Welcher fromm- und ehrliche Mann kann ohne Grausen sehen, daß viele zum ersten Grund des geistlichen Rechts legen, es seye alles erlaubt, was man nur will? was Wunder, wann denen der römischen Kirche zugethanen Richtern ab solchen Dingen grauset, und eckelt, und unsere Kirche so gräßlich vorkommt, als auf welche sie wegen obenbemelten Ursachen, die Schuld endlich werfen, und der gänzlichen Meynung seynd, die Reformierer, welche sich nicht bemühet haben uns ein gewisses geistliches Recht zu hinterlassen, seyen nicht weniger die Ursachen aller daraus entstehenden Uebeln, als jene Aeltern, welche ihren Kindern in der Jugend zu viel Freyheit lassen, die Ursach seynd aller Lastern, die von selbst in höherem Alter begangen werden. Es wurde wahrhaftig vor solchen Dingen auch grausen, und eckeln dem heiligen Augustino, wie zu ersehen nur aus seiner sechs und achtzigsten Epistel an Casulanum, wo er also schreibet: würde nicht derjenige Gott den
Herrn

Herrn beleidigen, welcher mit Vergernuß der ganzen, und aller Orten ausgebreiteten Kirchen an dem Sonntag fasten wollte? Wann nun durch eine auf dem Sonntag verordnete Fasten Gott beleidiget wird, wie gräulich wird er eurer Meinung nach erst beleidiget werden durch die frevelhafte Abstellung des Sonntages, und durch die Vertheidigung, und Gutheißung anderer Eingriffen, die unendlich größere Vergernuß verursachen, und das ehrlche herkommen vieler Kindern, und die Erbschaft ganzer Landsherrschaften ungewiß, und zweiffelhaft machen. Ich schreite aber zu einem anderen Elend unserer Kirche, welches darinn bestehet, daß ein jeder Betrüger, und Schwärmer erlaube ist eine neue Kirche zu schmieden, und neue Cerimonien, und Kirchengesetze vorzuschreiben, welches hier und dar einige Particular-Kirchen nicht nur ungestraft lassen hingehen, sondern auch noch noch gut heißen, und loben dürfen. Es hat gelehret die immerwährende, und lehret noch die heutige recht betrubte Erfahrung mit neuen Proben, daß der Zustand unserer Particular-Kirchen öfters gleich seye dem Zustand, in welchem sich das jüdische gemeine Wesen zu Zeiten deren Richtern bisweilen hat befunden, wo ein jeder thate, was er vor gut, und recht hielt. Das aber ein solcher Zustand, welchen viele unter denen Unsrigen ihnen so sehr gefallen lassen, dem heiligen Geist, als dem Geist der Ordnung, der die Subordination liebet, und der hauptsächlich Urheber des Buchs der Richter

tern

tern ist, höchst Mißfallen habe, ist aus eben diesem Buch genug zu ersehen.

Ferner werden in unserer Kirche noch beobachtet andere große, und vielfältige Armseligkeiten sowohl bey dem Beruf, als auch bey der Absetzung unserer Kirchendienern, und müßte ich meine Zuhörer gar zu lang aufhalten, wann ich nur den hundertsten Theil deren Mißbräuchen, welche bey Berufung gemelter Kirchendienern öfter vorgehen, hier erzählen wollte, übergehe sie also mit Stillschweigen, weil sie doch von selbstn meistens bekannt seynd, und will mit betrübtem Herzen nur allein was weniges melden von der Abdankung deren Kirchendienern, worüber heutiges Tages manche Lehrer in Deutschland ohne Scheu behaupten, es seye dem Landherrn erlaubt einen unschuldigen Kirchendiener ohne Anziehung einiger Ursachen, und nur allein weil es ihnen also gefällig, abzusetzen. Was aber vor gewaltige Ungerechtigkeiten, und großes Elend ein so gottloses geistliches Recht verursachen könne nicht nur vielen gar frommen Männern, sondern auch ihren Weib, und Kindern, wird man leichtlich erachten.

Wie betrübt, und armselig stehet es nicht auch in denen meisten Orten mit der Besoldung der Kirchendienern, welche öfters so gering ist, daß die Prediger göttlichen Wortes öfters genöthiget werden, wie die Bettelmönchen um Barmherzigkeit bey ihren Zuhörern zu schreyen, wollen sie anderst nicht Hunger leyden: aus welchem

welchem Elend nothwendig erfolget die größte, und kläglichsie Armutz der hinterlassenen Wittweiber unserer Kirchendienern. Entweder hätte man ihnen nicht sollen erlauben sich zu verheyrathen, oder wenigstens aus Verunnt für ihre Wittweiber sorgen. Stockblind muß derjenige seyn, welcher nicht siehet, was gefährliche Uebel bey Verwaltung deren Kirchendiensten heraus entstehen: da die eine wegen ihrer unzulänglichen Besoldung, andere, damit nach ihrem Tod ihre hinterlassene Wittwen nicht an dem Hungertuch nagen müssen, durch die geheime Ungestümmigkeit, oder flehentliches Anhalten ihrer Weiber genöthiget werden, sich dem spöttlichen Geitz zu ergeben: andere schmeicheln ihren Zuhörern recht schändlich, und zwar mit großer Vergernuß, absonderlich in ihren Reichpredigten, welche deßwegen von verständigen Leuthen schon lang gar wohl, und recht Eugenpredigen pflegen genannt zu werden; wann aber ein solcher Prediger noch darzu kein Ende mehr zu finden weiß, und mit seinem eiteln Wortgewäsch die Leuthe gern möchte weynend machen, so ist kaum auszusprechen, mit was für Verdruß, und Unwillen man diesen Schreyer, der nur ihme selbst allein gefällt, absonderlich bey kalter Winterszeit pflege anzuhören. Wie sehr aber dergleichen Eugenpredigen von wahrer Frömmigkeit pflegen abzuhalten, ist aus folgender Geschichte zu ersehen.

In einem Dorf, welches nur einen Steinwurf von hiesiger Stadt entlegen ist, kame vor ungefehr dreyßig Jahren ein Baur zu seinem Pfarrherrn, und fragte ihn, was er doch thun sollte, damit er nach seinem Tod ewig verdammt würde, dann solches schiene ihm unmöglich zu seyn, weil er bishero allerhand lasterhafte Böswichte, als Ehebrecher, Bollsäuffer, größte Betrüger, und Geizhälse ic. in denen Leichpredigen hätte hören seelig sprechen: diese frage, absonderlich weil sie auf Anstiftung eines adelichen geschehen ware, machte meinen guten Pfarrer sehr streng in Verwaltung seines Amtes, daß er forthin in seinen Leichpredigen die Todte nicht mehr so geschwind in Himmel zu setzen pflegte.

Eben so armfelig siehet es in unserer Kirche auch drein, wegen deren nach langer Arbeit, alten, und unvermöglichen Kirchendienern, und ist jedermann genug bewußt, wie schädlich es unserer Kirche seye, daß selbe nichts zu leben haben. Ueber dieß alles werden in unserer Kirche die Diener göttlichen Wortes so sehr verachtet, daß es mit solcher Verachtung weiter nicht kommen kann. Neben viel anderen unterschiedlichen Standes, bey welchen die Kirchendiener gar nichts gelten, hält auch das geringste, und liederlichste Gesindel so wenig auf die Prediger göttlichen Wortes, und redet von ihnen so gottlos, daß wann es absonderlich in denen Bier- und Würths-Häusern von nichts anders mehr zu schwätzen weiß,

weiß, über die Laster, welche es an denen Kirchendienern zu merken vermerket, herwüschet, ihre Untugenden herausstreichet, vergrößeret, und mit Hindansehung aller Ehre forcht ihnen noch mehr böses sucht anzudichten; welche unverschämte Ausgelassenheit nicht nur die Römisch-Catholische, sondern auch die Reformierte billich an uns verabscheuen. Dieses Elend aber gehet leyder absonderlich hier in Straßburg in völligem Schwang, und scheint hauptsächlich herzurühren von der dem Volk überlassenen Wahl, weil es absonderlich zur Zeit der Wahl am meisten vorgehet.

Ich schreite aber zu Deutschland, und finde, daß es auch daselbst mit unserer Kirche recht armselig stehe, wann ich betrachte den garstigen, und leeren Krieg, welchen unsere Theologi öftters ungestraft, und ohne Ursach wider einander führen. Ich könnte deren viele anziehen, wann ich ihnen die Zeit gern lang machen wollte. Absonderlich ist Weltbekannt, was verbitterte Gemütheshitze, wie viele, und was grobe Scheltworte, was Ketzermacherey, und Verdammungen mitunterlauffen seyen in dem Gezänke, welches unsere Theologi gegen End des lezt verfloffenen Sæculi wider einander angefangen, und bey Anfang dieses, jenseits unter dem Schein die Frömmigkeit zu befördern, anderseits unter dem Vorwand die Wahrheit zu schützen, fortgesetzt, und noch vermehret haben. Wahrhaftig wann

wann die sich zur augspurgischen Confession bekennende Kirche, welche von einigen Evangelisch, von anderen Lutherisch genannt wird, die gebühre, die Ehrbarkeit, die Zucht, und Ordnung geliebet hätte, so hätte sie wenigstens eine solche Art, und Weise zu zanken niemals zugelassen.

Viele tadeln auch billich an unserer Kirche als einen groben Fehler, daß man gänzlich habe zu Grund gericht die Klöster, oder Häuser, welche bestimmt, und gestiftet waren vor diejenige, die wegen ihres hohen Alters, und deren zu fernerer Verrichtung gewöhnlicher Geschäften abnehmenden nöthigen Kräfte, gern alle irdische Sorgen möchten ablegen, und die letzte Zeit ihres Lebens in einer frommen Gesellschaft anderer Leuthen ihres Geschlechtes mit Recht wünschen zuzubringen. Wahrhaftig, so wir die Wahrheit offenherzig reden wollen, müssen wir bekennen, daß man hierinn das Kind mit sammt dem Unflat habe ausgeschüttet.

Letztlich vollendet diesen armseligen Zustand, von dem ich rede, unsere zwar langsam, aber doch augenscheinlich gegen ihrem Untergang zunehmende, und in vielen Orten schon baufällige Kirche; dann wie durch die Einigkeit, und gute Verständnuß auch die geringste Dinge aufkommen, und zunehmen, eben also zerfallen, und gehen auch die größte zu Grund durch Zank, und Mißverständnuß. Viele der mächtigsten Fürsten, dero Vorältern die fürnehm

fürnehmste Uebergebere, und Verwaltere deren Kirchensachen gewesen waren, seynd wieder zu dem alten Glauben schon getretten: wie werden dann, voraus die winzig-kleine Stücklein des zerschnittenen Kirchenwurms sich noch lang bewegen können, wie wird das unter vielen Feldherrn, deren jeder was anderes befehlt, stehende Heer sich ferner wehren, wie wird eine Stadt, in welcher die Bürger nicht zusammen halten, und bey einer Brunst der Nachbar nicht wollen sorgen, und löschen helfen, länger stehen können. Es könnten noch viel andere, und zwar höchstbillige Proben hergebracht werden, das Elend unserer Kirchen darzu thun; allein was ich gesagt habe ist schon genug, dero klägliches Ansehen zu entwerfen.

Ex hoc authentico, ac meo censori nequaquam suspecto testimonio eruere poterit benevolus Lector, quod sane in Protestantium Ecclesia nulla omnino unitas, sed mera desolatio, regnumque in se divisum reperire sit.

§. XI.

*Censoris indignatio ob defensam Theologorum
Coloniensium famam.*

Quoniam illos Viros, qui Luthero, ut in Ecclesiam irrumperet, viam sternebant, tanquam nobiliora illius ævi ingenia non deprædicabam, sed potius Colonienſium Doctorum, qui sese hisce Philologis, poetis ac Grammaticis opponebant,

Zelum, ac Religionis studium commenda-
 bam, hinc a Censore meo his verbis redar-
 gui promeritus sum: es ist ungemeyn seltsam,
 was der Pater Alexander zum Lob seines
 vortreflichen Ortuin Gratius, Pfeffernkorn
 Jacob Hochstratten &c. beybringet, er steckt
 sich mit diesen aufgeblasenen Dumm- Köpfen
 hinter die Rechtgläubigkeit, und fällt auf die
 besten Geister ihres Zeitalters, als auf die gottlos-
 festen Buben los; seu latine: „Oppido singulare
 „est id, quod Pater Alexander in laudem
 „sui egregii Ortuini Gratii, Pfeffernkornii,
 „Jacobi Hochstratten profert; unacum
 „hisce inflatis idiotis veram orthodoxiam
 „obtendit, ac nobilissima illius ævi ingenia
 „veluti maxime impios scurras insequitur.
 Ad ostendendam vero hujus suæ querelæ
 æquitatem pag. 457. adducit annotationem
 meam ad §. 72. Lib. CXXXI. tom. 35 fol.
 299. ubi hæc addidi: „illo nimirum ævo
 „nonnulli, qui se purioris literaturæ viros
 „jactitabant, Lutheri erroribus clam præci-
 „nebant, cum vero clandestina eorum con-
 „silia, a viris fidei Zelo accensis, -- detege-
 „rentur, hinc illi eorum auctoritatem con-
 „vitiis, calumniis, famosis libellis in vul-
 „gus sparsis, nec non atrocibus jocis, &
 „ludibriis imminuere, famamque eorum
 „lædere toto studio eo fine nitebantur, --
 „ita illo ævo accidit; tum enim insurge-
 „bant nonnulli, qui Grammatices, Eloquen-
 „tice, græcæ & Hebraicæ lingue, novasque
 „Philo-

„Philosophicæ scientias, plenis buccis depræ-
 „dicabant, ceteros omnes tanquam rudes idio-
 „tas contemnebant, sibi que harum scientia-
 „rum abusu populi, ac incautorum famam
 „conciliabant.

His verbis Censor meus subjunxit: *wie*
 können nicht alles abschreiben. Profecto hu-
 jus Critici censuram perlegentibus oppido
 singulare accidit, quod is ea, quæ ab om-
 nibus cœvis Scriptoribus referuntur, eo-
 rumque testimoniis comprobata sunt, a me
 annotata indignetur, ac Viros de Christiana
 Republica optime meritos aufgeblassene
 Dumma-Köpf seu inflatos idiotas, hebetis-
 que ingenii homines convitari non eru-
 bescat. Non equidem quid singulare, mi-
 nus vero quicquam veritati absonum ex
 adulandi studio in laudem Gratii, Hoch-
 strati, vel Pfeffernkornii scripseram, de ho-
 rum autem adversariis (quos Censor die
 besten Geister ihres Zeitalters nominat) re-
 tuli, quod *Lutheri erroribus clam præcinue-
 rint*: verum id ante me illo ipso ævo Alber-
 tus Pius Carporum Princeps, Stunica, Beda
 Parisiensis, alique plures demonstrabant:
 quod vero nobiles hi spiritus suis scientiis
 abutentes indignum in modum Catholicos
 atrocibus jocis, famosis libellis, convitiis,
 & ludibriis infectati fuerint, certe censor
 meus negare non audebit; quis enim cre-
 dere poterit, quod tantus, talisque Vir in
 pervolvendis libris adeo segnis, vel in eru-

ditione historica tantopere rudis sit, ut ignorare potuerit, quod tam scurrilia, tam acerba, & mere conficta scommata in Virorum obscurorum epistolis fuerint typis sparsa, ut hujus facti indignitas ipsi etiam Erasmo summopere displicuerit, ut ipsemet testatur in epistola ad Joannem Cæsarium 16. Aug. anno 1517. data, quam inferius adducamus. minus vero ignorare debuisset Censor verba Alberti Pii, qui hanc in rem ita scripsit: *inde factum, quod & tu ingenue suteris, ut quotquot vestratium amabant literas, se Lutheri nascenti furori fautores exhibuerint. Hæc causa tantorum malorum fuit: hinc enim Luthe- ro natura temerario audacia crevit, & arrogancia, tantis videlicet auxiliis confidenti. Quanto fuit optabilius, ut hi non tanto ardore bonis literis favissent, quanto salubrius, ut illas nunquam didicissent, quam ut earum occasione tam vastum incendium excitassent. Increpandi sunt illorum nonnulli, qui illis fuerunt abusi, quos scribis mox nato Luthe- ro penitus adhæsisse . . . plurimi ab ipsis arrogantes & temerarii evadunt: nec mirum, cum doceant congrue, & commode proloqui, non autem res ipsas recte existimare . . . hinc ut furentes gladio, ita ipsi eloquentia abusi Germaniam cunctam in seditionem induxerunt. Hoc fuit de hisce præstantissimis Viris judicium Carpiensis Principis, Scriptoris coævi, ac Reuchlino (ut ipsemet testatur) ejusque fautoribus addicti, proinde veritate non suspecti:*

suspecti: hujus igitur Scriptoris verba cum
 mea annotatione conferat eruditus Censor,
 & mea dicta illius testimonio confirmata
 reperiet; qua autem fronte de me scribere
 potuit, quod in hosce viros sua existima-
 tione adeo præclaros, velut in nequissimos
 scurras invehi non dubitarim? legat, &
 perlegat omnia annotationis meæ verba,
 & ne unicum quidem convitium in eos a
 me conjectum deprehendet: meliori autem
 jure contra ipsum, suosque conqueri pos-
 sem, quod ipse nimium proterve Viris scien-
 tia, & pietate insignibus, quales erant Co-
 loniæ Universitatis Doctores, tam pu-
 denda nomina imponere, eosque *aufgeblae-
 sene Dumm, Köpf, Kegermacher, Caveus*
 autem *malitiosos, petulantes, atque ineptissi-
 mos tenebriones* appellitare non erubuerint,
 cum tamen ex illis nullum de ullo crimine
 redarguere possent; si vero illos latini idio-
 matis puritate minus excultos arbitrati
 sunt, num propterea tanquam malitiosi,
 petulantes, stupidi atque ineptissimi tene-
 briones palam traducendi? Quis sani ju-
 dicii vir Hochstratum velut inflatum, stu-
 pidumque caput explodere audebit, cum
 is tot doctissimarum elucubrationum Au-
 thor, ac per plurimos annos celeberrimæ
 Colonienfis Universitatis Doctor præclara
 Ecclesiæ, ac Reipublicæ Literariæ obsequia
 præstiterit. Verum si, quod res est, fateri
 vellent, non alterius criminis rei erant hi
 Docto-

Doctores, nisi quia novis opinionibus adversantes veræ Religionis honorem strenue contra Novatores tuebantur: & quidem Hochstratus ab ipsis indigne habetur, quia contra Lutherum, nec non adversus *speculum oculare* calamum severe strinxit, Pfefternkornius vero Judæorum libros retineri, ac divulgari prohibuit, quia atroces in Christum Dominum, & B. Virginem blasphemiam in illis passim continebantur. En utriusque culpam, atque odii originem: utrumque vero facinus utrique huic viro in immortalem cedit gloriam, & quidem Hochstrati iudicium ipsa etiam Facultas Parisiensis ratum habuit, ejusque causa Romæ fuit vindicata, cujus rei evidens signum est, quod præfatum *speculum oculare* damnatis libris in Indice Romano fuerit adscriptum: quid plura? hujus causæ æquitas fat luculenter ex eo demonstratur, quod nobilissima illius ævi ingenia die besten Geister ihres Zeitalters, cum ipsis ad eum oppugnandum validæ deessent rationes, in Hochstrati Roma reducis vitam insidias, quas, prout ipsimet passi sunt, ægre evasit, desperabundi struxerint, ac demum pro vetularum more in sarcasmis, mendaciis, contumeliis, ac convitiis opem quærere coacti fuerint, hancque ob rem *virorum obscurorum epistolas* in lucem emisertint: quis vero pudendi hujus libri auctor sit, an ipse Reuchlinus, vel Huttenus, vel Georgius Beni-

Benignus, vel hi unaomnes, discutere haud
 operæ pretium est, hanc in rem consuli
 possunt Placcius, & Christophorus Heu-
 mannus *de libris Anonymis, & Pseudonymis*:
 quiscunque vero infamis hujus partus pa-
 rens existit, certe potiore jure obscurus vir,
 ac tenebrionum nequissimus appellari mere-
 tur, suum nomen prodere haud ausus; filii
 enim tenebrarum fugiunt lucem, eamque,
 qui male agunt, odio habent; quid autem
 aliud magis impium excogitari potest, quam
 illud ipsum hoc opus, quo petulantius ne-
 quidem ab insolentissimo scurra expectari
 posset, in quo Author optimæ notæ Viris
 epistolas affingit, in quibus inscitia cum
 nequitia de palma certat, & non sine atro-
 cis detractionis culpa, innoxiiis turpissima
 quævis facta, & dicta imponit, perinde ac
 si eadem ab ipsis perpetrata, vel scripta fuis-
 sent? quid sceleratius excogitari potest,
 quam sub ementito Ecclesiasticorum nomi-
 ne tam impudica, spurca, tamque obscœna
 typis edere, ut etiam honesti viri aures
 offendantur, & incauti juvenes facile ad
 quasvis libidines eorum lectione abduci
 possent? nonne potius rogi supplicio, quam
 publico prælo dignus est obscœnus ille tra-
 ctatus *de fide meretricum, & de fide concubi-
 narum*; sane digna harum epistolarum ap-
 pendix? horreo ad blasphemias, quas fœ-
 tidum os hujus Authoris in Spiritum San-
 ctum, D. Petrum, ac Hieronymum in sua
 prima

prima epistola, nec non in decima tertia in Beatissimam Virginem, imo in epistola vigesima secunda, & vigesima octava in ipsum Christum Dominum, pluraque alia prorsus iniqua; atque abominanda petulantissime evomit: jam vero sive Reuchlinus, sive Huttenus earum Auctor fuit, sive demum omnes tum Colonienfibus Doctoribus infensi suam operam contulerunt, si inquam, hosce viros Berolinensis Criticus celebrioribus illius ævi Scriptoribus accenset, egregius sane nequitiae Patronus est, & apologeta; caveat autem sibi, ne eandem infamiae labem incurrat, qua fuerant notati illi, quos inique defendendos suscipit: ipsemet Erasmus Roterodamus (e) quamvis Reuchlino, ejusque fautoribus amicissimus, ut memoravimus, scurrile hoc facinus improbavit, scripta sequenti epistola: *Magnopere mihi displicebant epistolæ obscurorum virorum: jam tum ab initio delectare potuisset facetia, nisi nimium offendisset exemplum, mihi placeant lusus, sed citra cujusquam contumeliam: sed molestius fuit, quod in posteriore editione mei quoque nominis mentionem admiscuerint: quasi parum fuisset ineptire, nisi nos quoque vocassent in invidiam, & magnam partem fructus tot studiorum laboribus expetiti corrumpissent. Ne id quidem satis est visum. En alter libellus priori adsimilis, in quibus crebra*

(e) Loc. cit. in tom. 2. epist. obsc. Vir. fol. mihi 51. Francof. 1757.

mentio fit eorum, quibus scio lusus huiusmodi nequaquam probari, quam male consulunt isti, non solum in seipsos, verum etiam in omnes, quibus bonæ literæ charæ sunt? jam illud est omnium molestissimum mihi, si modo verum est, quod mihi isthinc reversus famulus meus Jacobus narravit, apud complures haberi Colonicæ libellum, nescio quem, in Julius Pontificem, quomodo mortuus exclusus sit e cælo per Petrum. Audieram jam pridem huiusmodi fabulam actam in Gallia, ubi talium nugarum immodica licentia semper fuit, eam opinor aliquis in latinum sermonem transtulit. Demiror, quid istis in mentem veniat, cum sic oleum, & operam perdunt, ceterum admiror esse, qui suspicentur tam insignem ineptiam a me profectam, opinor ob id, quod sermo fortasse sit paulo latinior. Lusi quidem in Moria, sed incruente: nullius famam nominatim perstrinxi, in mores hominum lusimus, non in famam hominum: quod si vera mihi nuntiavit famulus (nondum enim satis credo) quæso te vir optime, ut istiusmodi nugæ impias pro tua virili premendas cures, priusquam excudantur, non quod isti digni sint, quibus hoc præstetur beneficium, sed quod nostrum est, publice studiorum honestatè consulere, quam isti talibus lusibus indigne contaminant: porro quod ad me pertinet, scio neminem fore, qui me norit, quin satis intelligat, istiusmodi nœnias mihi supra modum displi-

displicuisse, quippe indignas **ERUDITIS,
AC PROBIS VIRIS.**

Apostolicum autem iudicium de hisce scandalosis epistolis non dedignetur percipere Censor noster: intelligimus, inquit, Leo X., nonnullos iniquitatis Filios damnabili, & temeraria loquacitate ductos quemdam libellum famosum, cui titulus est: Epistolæ obscurorum virorum ad diversas orbis Provincias, quo eorum temeritas notior fieret, & scandalorum materiam diffusius seminarent, mittere præsumpsisse, in quo libello inter cetera contra Sacræ Theologiæ, & præcipue Ordinis fratrum Prædicatorum Professores, & Colonienses, ac Parisienses Studiorum in eadem Theologia Magistros, quorum aliqui nominatim exprimentur, tot jurgia, contumelice, & convitia proferuntur, & inter alia tam spurce, & petulanter invehitur, convertendo etiam ad scurrilia Sacra eloquia, ut expediat quantocius pro Christianæ Religionis honore illius lectionem tanquam labem pestiferam a rerum natura depelli: scandalosæ vero huiusmodi garrulitatis auctores debita animadversione puniri. Profecto nullus hominum hucusque spurcissimum hoc opus approbavit, nisi quis omni verecundia abjecta demeretricia etiam gloriatur infamia: si ergo Criticus Berolinensis (ut dubitare fas non est) vir honestatis amans est, non mihi irasci deberet, si in protervos hosce Scriptores (quod tamen non feci) invecus fuisset,

fuissem, tanquam in nequissimos scurras, quos tamen ipse pro suo complacendi studio inter nobiliora illius ævi ingenia numerare dignatur: de cetero, si fors meæ in Erasmus animadversiones ipsum offenderint, memorem esse volo, quod semper meorum verborum rationes, & testimonia adduxerim; si autem & hoc eidem displicet, vices doleat illorum, quos ipse a nemine provocatus, nec offensus acrius suis censuris perstringit, quin ullam suæ reprehensionis rationem, vel testem alleget.

§. XII.

Censoris animadversio in eandem Interpretis annotationem.

His nondum contentus Censor meus, quod de scientiarum & præprimis novæ Philosophiæ abusu questus fuerim, me redarguit his verbis: aber nun kommt noch eine schöne Beheftlag, die wir nicht auslassen können, seu latine: *ast nunc adhuc occurrit elegans lamentatio, quam prætermittere non possumus.* His præmissis sequentia annotationis meæ verba recitat: „ita nempe „nulla ætas magis periculosa, quam illa, „in qua scientiarum abusus impune grassantur, quot, quantosque *Viros jam a recta fidei semita abduxit nova Philosophandi ratio, quæ propter sentiendi libertatem sensim fidem eliminat: unde hodierno ævo tam effrænis sacros Ecclesiæ ritus contemnendi, traditiones, & pia historiciæ monumenta* (der Versor meynst

meant die Mönchslegenden) rejiciendi libertas, quam ex ipso artis criticæ abusu? Hæc mea sunt verba, in quibus quid reprehensione dignum sit, haud video; non enim scientias, vel artem criticam, sed earum abusum deploro: hunc vero a meo Censore approbari, credere non possum: nec etiam novam, ut vocant, Philosophiam rejicio, sed eam philosophandirationem, quæ propter sentiendi libertatem sensim fidem eliminat: si autem propterea Berolinensis critici censuram promeritus sum, veniam mihi dabit, si eundem in pervolvendis Sanctorum Patrum operibus parum versatum existimem; ex horum enim lectione circa hanc materiam (quin se ad Catholicam fidem perducere, timere debuisset) facile perspicere potuisset, quod effrænis hæc philosophandi ratio, de qua in mea annotatione quæstus sum, ad errores contra ipsam fidem liberum pandat aditum: præprimis enim Tertullianus ejusmodi Philosophos vocat *Hæreticorum Patriarchas* (f) & alibi (g) philosophicas hæc libertates vocat *doctrinas dæmoniorum, prurientibus auribus natas de ingenio sapientie sæculi, quam Dominus stultitiam vocans, stulta mundi in confusionem etiam Philosophos ipsius elegit*, ubi etiam idem Tertullianus ex philosophicis erroribus

(f) De Anima c. 3. 17. & adversus Hermogen. cap. 8.

(g) De præscript. hæret. c. 6. & 7.

bus Valentini, Marcionis, Stoicorum, Epicureorum, Zenonis, aliorumque hæreses enatas esse testatur, concludens: *ipsæ denique hæreses a Philosophia subornantur*: perlegat Censor noster Sanctum Irenæum, qui plurimos recenset hæreticos, qui omnes ex philosophicis erroribus & fabulis suas sectas fabricarunt; Arius quoque, & Aetius ex præpostero Philosophiæ studio in hæreses prolapsi sunt, & teste Tripartita (h) Julianus exinde suum venenum hausit, nonne Joannes Piloopponus Philosophico argumento abusus Tritheitis præludit? imo ipse etiam Lutherus sectam suam procudit ex corruptis Philosophiæ principiis, ut testatum reddidit Georgius Saxonix Dux in sua epistola ad Henricum VIII. Angliæ Regem. Undenam nisi ex Philosophiæ abusu promanabat Leibnitzii error de optimo mundo, Ahlwartii, (i) qui opus creationis Deo non fuisse liberum affirmabat, blasphemia Antonii Collinii (k) & Balthasari Beckeri, & Eliæ Elleri deliria circa spirituum vim necnon Hermani Ruiffvich errores contra Christum, Angelos, humanam animam &c. (l) Taceo Brendeillii, Helmontii Leibnitii, Wol-

(h) l. 2. adversus hæreses c. 14. edit. Venet.

(i) l. 6. c. 1.

(k) In introduct. ad Theol. dogm. Novell. lit. Goetting. 49. pag. 453.

(l) Tract. de libert. sentiendi.

Wolfii, Illirici, aliorumque Novatorum crassos circa animam errores, ad quos per noxiam Philosophandi rationem perducti fuere. Non equidem ea mihi mens, ac sententia est, ac si Philosophia Theologiam, fidemque dirigat ac moderetur, suoque iudicio subjiciat; illam enim hujus nonnisi ancillam esse teneo, sperare autem valeo, quod eruditus meus Censor cum Petro Pomponatio & Spinosa (m) asserere non audeat, neque Theologiam rationi, neque rationem Theologiæ ancillari, proin quosdam etiam fidei articulos ex Philosophia esse negandos, ex fide vero affirmandos: quoniam vero inter Protestantes nulla datur Theologica unitas, hinc dubio locus est, an Censor meus vel illis accedit, qui Religionem a Philosophia adeo abhorreere autumant, ut cum Cartesianis teste Antonio Hulsio (n) publico excipiendos esse censeant *sibilo, qui dicerent Philosophiam esse Theologiæ ancillam*: vel an Philosophiæ tantam tribuat auctoritatem, ut cum Kechermano, Ludovico Majero, (o) & Wolzogenio etiam sublimissima fidei mysteria sola ratione, ac naturæ lumine demonstrari posse contendat. Ast qualitercunque demum erga Philosophiæ merita affectus sit Berolinensis Criticus, parum angor;

(m) Tract. Theologico-Politico.

(n) Argentre Collect. jud. tom. I. p. 342. Specim. Theol. hypoth.

(o) System. Theol. c. 3.

angor; semper enim, si sanam rationem atque ipsam experientiam consulere voluerit, mecum fateri cogetur, quod effrænis sentiendi libertas errores in Philosophicis pariat, hi autem non raro etiam in Theologia defectus atque errores circa aliqua secum trahant; *sicut enim sacra doctrina etiam ratione humana utitur non quidem ad probandum ea, quæ fidei sunt, sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur hac doctrina; cum enim gratia non tollat naturam sed perficiat, oportet, ut naturalis ratio subserviat fidei:* (p) ita quotiescunque intellectus frænis nimix libertati laxatis præsumit de semetipso, & neglectis veritatibus revelatis ruptisque legum repagulis nova principia in Philosophicis sibi confingit, vel quas-cunque pro luxuriantis ingenii sui pruritu consecutiones inde deducit, necesse est, ut error in Theologicis plerumque sequatur: quapropter non modo Sancti Patres ac Doctores Catholici v. g. Tertullianus (q) Justinus (r) Clemens Alexandrinus (s) S. Gregorius Thaumaturgus (t) Athenagoras (u) Eusebius (x) Theodoretus (y) Arnobius
 k 2 Lactan-

- (p) Philos. Script. interpres.
 (q) S. Th. 1. p. q. 1. art. 8. ad 2.
 (r) In Apologetic.
 (s) In Parænet.
 (t) Lib. 1. Strom.
 (u) Panegy. de Orig.
 (x) Apolog.
 (y) Præpar. Evang.

(z) Lactantius (a) Hieronymus (b) Augustinus (c) alique Philosophiam Theologiæ perutilem statuerunt, sed ipsi etiam Protestantes saniora per rationem & experientiam edocti hanc inter & illam perutile consortium agnovere, ac præprimis Joannes Musæus Professor Jenensis anno 1645. tres libros edidit *de usu principiorum rationis & Philosophiæ in controversiis Theologicis*. Leibnitzius quoque, quamvis a recto Philosophiæ usu non raro aberrasset, nihilominus quamdam dissertationem scripsit, *de conformitate fidei cum ratione*, atque anno 1737. Jacobus Wilhelmus Feuerlinus Professor Gottinganus peroravit *de concordia fidei & rationis*: anno autem 1731. Joannes Gallingius Altorffii elucubravit *convenientiam fidei & rationis de Deo & Religione* item 1732. *Convenientiam fidei & rationis de necessitate revelationis*, ac denique Joannes Albertus Spius anno 1735. ibidem edidit *Discrimen & convenientiam Philosophiæ ac Theologiæ*. Hi autem, pluresque alii probe cognoverunt, necessarium esse nexum Philosophiam inter & Theologiam; sicut enim verum vero, & natura gratiæ contraria esse non valet, ita nec idipsum, quod in natura verum est, in ordine gratiæ falsum esse potest; primum enim

(z) Demonst. Evang.

(a) l. adversus Gentes.

(b) Lib. de ira & de Opificio Dei.

(c) Epist. ad Magn. Orat.

enim fides tanquam fundamentum sternatur, & deinde accurata cognitio rerum & vis argumentationum accedat: sic cognita veritate per doctrinam fidei securius rationes veritatis jam inde præcognitæ in Philosophia investigare licet: nisi enim ratio per revelatas veritates dirigatur, facile in illos inciditur errores, quos D. Thomas (d) recensuit, inquit: (e) *utentes Philosophia in Scriptura, possunt dupliciter errare, uno modo utendo his, quæ sunt contra fidem, sicut fecit Origenes, alio modo, ut ea, quæ sunt fidei, includantur sub metis Philosophicæ, cum e converso Philosophia sit ad metas fidei redigenda juxta illud Apostoli I. Cor. 10. in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*: qua autem ratione quis scire poterit, an non consecutiones fidei adversas fectetur, si cuncta sine regula & sine lege in Philosophicis concipit, & intellectus sui deliria pro oraculis divendit; intellectus enim humanus per originale peccatum saucius multis obvolvitur ignorantix tenebris, aliunde vero nativam sciendi vim, ac cupidinem in se habet: si ergo hæc cupiditas nullis restringitur repagulis, ac regulis, facile evenit, ut velut equus lasciviens ac indomitus divagetur per semitas a veritate omnino devias, ac nonnisi ea, quæ ipsi

k 3

luxu-

(d) I. de vera Relig. c. 34. ep. 120. item de civit. Dei.

(e) Opusc. 16. circa finem.

luxurians discurrendi ratio, & effrænis sentiendi libertas dicitur, sectetur: cum vero intellectus in supernaturalibus absque fidei lumine vel maxime cæcutiat, inde enormiter errat, præsertim tunc, si eo cæcitatibus ac demum præsumptionis prolabitur, ut etiam ea, quæ sunt fidei, ad opiniones in Philosophia præconceptas dimetiatur, ea vero, quæ suo intellectu assequi nescit, penitus rejiciat, dicens, *quæ sunt supra nos, non ad nos*, ac de rebus fidei disputare, easque pro arbitrio suo dijudicare præsumat, licet duntaxat aliqua Sacræ paginæ loca memoriæ suæ tradita in promptu habeat: „id in „Germania, inquit Canus (f) regnante „Luthero accidit, ut Sutores, qui novum „Testamentum memoriæ mandarunt, magni & præclari Theologi haberentur, atque adeo mulierculæ, quoniam Evangelia, & Paulinas epistolas memoriter recitare poterant, omnium Academiarum Theologos ad disputandum provocarent. „Inde ortum suum traxerunt Libertini, indifferentistæ & Naturalistæ, quos merito Concilium Lateranense V. Generale XVII. Sessione VIII. repressit: inde etiam provenit *effrænis illa*, quam ego, omnesque, recte sentientes mecum deplorant, *fidem, & sacros ritus contemnendi, traditiones ac pia historiciæ monumenta rejiciendi libertas*, nam hodierno

(f) l. 9. de loc. Theol. per 9. capita & l. 10. per 4. cap.

dierno ævo arte critica abutentes ad arbitrium suum articulos fidei revocare audent, imo ipsa etiam Sacra Scriptura eis non videtur satis emendata, & reputant, quod Patres & Ecclesiæ Doctores non satis exacte assecuti fuerint vim ac Sacri Codicis mentem, unde ipsi testimonia Christianæ fidei maxime faventia, in suspensionem trahunt, atque argumenta, quibus Religio demonstratur, non nisi problemata esse existimant: verbo, ejusmodi scioli, qui se vocant *Esprits forts*, id omne, quod ad judicii sui tribunal non est delatum, admittere renuunt: hunc criticæ artis abusum Religioni tantopere nocivum ante me jam dudum deplorarunt Viri, qui sua eruditione in Republica literaria sibi etiam apud Protestantes celeberrimum, & a nostro Censore nunquam assequendum nomen emeruerunt: pervolvat doctissimum tractatum Laubrusseli *de malo usu critices in negotio Religionis*, & cum eo deplorare poterit perversum critices usum circa Sacram Scripturam & traditiones. Legat Abbatis Trapensis responsionem ad tractatum de studiis Monasticis, item Mabillonium p. 2. c. 13. pag. 291. & præcipue N. P. Honoratum a S. Maria doctissimum certe Criticum (g) qui causam, propter quam Berolinensis censor annotationi meæ irascitur, his verbis

k 4

bis

(g) Animadvers. in Regulas critices dissert. 6. art. 1.

bis detexit: *Experimento ipso revera probatum est, primos, quos dicunt, Reformatores, itemque Protestantes postremi Sæculi audaci Critica protectos in eo vim omnem posuisse, ut radicitus Christianismum suffoderent, sive Scripturas dubitationibus & subtilibus jurgiis eo redigentes, ut certa argumenta, minimeque controversa de re Religionis inde comparare non possent, sive insurgentes in traditiones constantissimas, nulla alia ductos ratione, quam fastidio suo, sive curantes diruere sensim totum fidei exterius ædificium inter suppositia rejiciendo scripta & facta probatiora. Vidimus, subjungit idem Auctor ex Laubrusselo, rursus literas floruisse, statimque Criticem & hæresim socias fideles æquo gressu easdem remotas semitas prosequi, pari audacia eosdem fines prætergredi, easdemque leges Ecclesiæ proterere: cum autem suis sat solemne sit, arte critica ad impugnamdam Catholicam fidem abuti, hinc Censor mihi succensuit, quod hunc abusum paucis perstringere præsumpserim: verum iræ suæ modum ponat, scio quidem, quod criticum agat, nec tamen panis frustulum, quod inde lucratur, mea lamentatione contra critices abusum instituta imminuere intendo; nec etiam mihi indignetur, quod traditiones hujus abusus ope contemni deplorarim; sciat enim, quod ipsimet Romano-Catholici non omnes traditiones cæco obsequio sine delectu recipiant, sed potius sana crisi pias traditiones a vulgi rumoribus fecernant:*
id

id vero si hucusque ignoravit, consulat laudatum P. Honoratum, (l) a quo assiduum ab Ecclesia Romana studium in fecernendis hisce traditionibus adhiberi reperiet: pervolvat præfationem Ruinartii (m) qui plurima ei exhibebit exempla, quibus discere poterit, quod Ecclesia semper spuria Martyrum acta a veris segregarit, nec quævis facta historica promiscue admittat, sed Scriptorum fidem, tempora, ceterasque circumstantias sedulo examinet:

Denique ex Censore meo sciscitari liceat, quisnam familiaris Spiritus eidem manifestarit, quod per pia Historiæ monumenta, *Monachorum legendas* subintellegerim, cum nimis fidenter asserat: *der Verformeynt die Mönchslegenden*: errat bonus iste Vir; nam mea lamentatio illos petit, qui genuina acta Martyrum, Sanctorum gesta, sanctas institutiones, facta Historica &c. a coævis, incorruptis, probatisque Auctoribus, sive demum hi Monachi, sive cujuscunque alterius professionis homines fuerint, conscripta rejiciunt. Hæc pia monumenta a Scriptoribus Heterodoxis unice ex eo, quia illa Catholicæ veritati favent, & a Catholicis Authoribus conscripta sunt, contemni questus sum; ea enim ex ratione quamplurimi Protestantes certissima quævis monumenta vel omnino negarunt, vel

k 5

in

(l) l. c. p. II. art. 5. l. I. Diss. I.

(m) Acta Martyrum.

in dubium vocarunt, sicut propterea Ruinartius l: c. questus est contra Henricum Dodwellum, quem (ut ait ille) ad hanc novitatem excogitandam nihil impellere potuit, quam ea, qua laborare solent heterodoxi, adversus Ecclesiam Romanam aliquid conscribendi prurigo: Nonne autem potius Censor eruditionem sacram, si qua tinctus est, doctillimorum Monachorum sedulitati in acceptis referre deberet? pauca enim de veteris Ecclesiæ gestis sciret, nisi ea a Monachis conscripta ad posteros fuissent transmissa: scio equidem, quod Berolinensis hic Novellista duntaxat per ironiam de Legendis Monachorum sermonem immiscuerit, interim ego sincera mente eidem repono, quod ironicas ejusmodi locutiones potiori jure retorquere possem in Historias a Protestantibus conscriptas, præcipue in illud Martyrologium, seu Martyrum suorum historias, quas typis editas Antverpiæ non sine nausea ac falsitatum horrore perlegi.

Attamen laudem meretur Berolinensis hic Censor, dum meam apostrophen merito jure Reuchlino, Erasmo, & Luthero attribui posse, asserit: certe enim in suo judicio veritatis metam attingit: dieses ist eine apostrophe, womit Ortuin, Psefferkorn, und die übrigen obscuri Viri den Reuchlin, Erasmus, und noch mehr unsern Luther anreden könnten, und wirklich angeredet haben (tu dicis) jetzt läßt sie sich auch in der protestantischen

tischen Kirche hören, und zwar von denen, die den Namen und das Ansehen Luthers am meisten im Mund führen, seu latine: *Hæc est apostrophe, qua Ortuinus, Pfefferkornius, & ceteri Obscuri Viri Reuchlinum, Erasmus, & potiori adhuc jure Lutherum alloqui possent, atque etiam allocuti sunt: nostro etiam ævo eadem apostrophe in Protestantica Ecclesia auditur, & quidem ab illis, qui nomen & merita Lutheri potissimum in ore circumferunt. Enimvero Ortuinus alii- que illius ævi Viri doctissimi, quos pro in- nata sua charitate, ac comitate aufgebla- sene Dumm / Köpfe Censor meus ap- pellare dignatur, Reuchlino, Erasmo, imo & ipsi Luthero absque omni injuria scien- tiarum abusum, effrænem sentiendi liber- tatem, & sacræ antiquitatis contemptum exprobare potuerunt; haud incognitæ enim erunt Censori meo propositiones ac Reuch- lini errores, qui decerpti fuerunt ex ejus libro, qui ad prohibitorum librorum indi- cem condemnatus a Parisiensi Facultate 2. Aug. anno 1514. hac censura notatus fuit: liber est propositionibus plurimis falsis, temerariis, piarum aurium offensivis, in SS. Patres injuriosis, in Christum & Ecclesiam blasphemis, hæreseos suspectis aut etiam hæ- reticis refertus, & rogo publico adjiciendus.* (n) Quem insuper latet, in quam abomi- nandos

(n) Vid. Carol. du Plessis collect. judic. tom. I. pag. 349.

nandos errores Erasmum dissoluta hæc ad rationis solius tribunal etiam fidei res vocandi licentia pertaxerit: dissimulo pudenda ejus convitia, quibus hic Vir res sacras ludibrio exposuit, Religiosos, eorumque pia exercitia & instituta publicis scriptis traduxit: certe effrænem illius sentiendi libertatem manifestius testantur ejus contumeliæ in SS. Trinitatem, Christi naturam, B. Virginem & Sanctos, Ecclesiæ ritus, Templorum ornatum, Episcoporum & Sacerdotum auctoritatem, vota Deo nuncupata, cælibatum &c. adeo, ut merito, teste Alberto Pio (o) prudentes Viri viam Luthero, ut Ecclesiam dilaceraret, ipsum struxisse putarint, eo quod omnia pro intellectus sui malefani modulo tum profana, tum sacra mensus esset, ac virulento suo atheismo incautam juventutem inficeret. Ceterum Censor veniam, si meam apostrophen etiam Luthero suo attribuiam, eo facilius mihi dabit, quo majori cum ingenuitate ipsemet fatetur, quod illa etiam ab iis, qui Lutheri nomen & famam in suo ore potissimum circumferunt, eidem hodieum passim adscribatur: nec enim hi præclaro huic novi Evangelii Architecto injuriam se facere existimant; probe enim perspectum habent, quod hic, quicquid ei inquietum ingenium, & in Papæ & Ecclesiæ odium excitata

(o) Apud Raynald. ann. ad anno 1516. n. 91. & seqq.

citata comminiscendi rabies ac libido dictitabat, velut divinitus inspirata divulgavit oracula; nonne ex solo cerebri sui arbitrio discipulis suis, quos tamen promissa Divini Verbi puritate allicere nitebatur, sacras literas subtraxit, dum eas non modo multis in locis depravavit, sed & notabilem earum partem expunxit, non alia ductus ratione nisi ea: *sic volo, sic jubeo* &c. Undenam, nisi ex effræni sentiendi libertate ortum traxit, quod Lutherus tot errores jam dudum in Ecclesia damnatos ex orco revocavit, ut testatur Augustissimus Cæsar Carolus V. in decreto Wormatiensi, necnon in Recessu 19. Novembris anno 1530. omnium Imperii Ordinum subscriptione firmato, item in Recessu Spirensi anno 1529. Quinimo ipse Lutherus suam nova invenienti licentiam fatetur, dum ait (p) *eo tempore* (scilicet anno 1520.) *doctrina hæc nostra NOVA* Et *supra modum scandalosa erat per universum Orbem*, atque ab Apostolorum temporibus inaudita (q) nonne ejusmodi effrænem libertatem sapiunt hæc verba: daß soll dir eine gewisse Regel seyn, und Gesatz, wann dir die Schrift gebietet, daß du ein gut Werk thun sollst, sollt du es also verstehen, daß sie verbietet, ein gut Werk zu thun.

(p) Brev. Confess. de SS. Sacram. tom. 8. Germ. Jen. f. 181.

(q) Ad Rom. 3. v. 28.

thun (r) & alibi: *Papa tu conclusisti cum Concilio, nunc habeo ego iudicium, an acceptare queam, necne.* (s) Taceo, pene innumera alia licentiosæ hujus libertatis παραδειγμα, quæ passim in Lutheri libris occurrunt; unde haud immerito Badensis Marchio Ernestus Fridericus in suis Christianis cogitationibus in præfatione fol. 36. deploravit, quod tam absurdæ propositiones inveniantur in Lutheri scriptis, ut mox Papistarum (hoc nomine nos Catholicos indigitat) in maximum Lutheranæ sectæ dedecus occurrunt: cesset igitur Censor noster doloribus sese absumere, ingemiscens, quod etiam in ipsismet Protestantium Ecclesiis haud paucos reperire sit, qui licet Lutheri nomen & honorem quam maxime celebrare, sese jactitant, nihilominus abominanda ejus dogmata detegant, & ipsius effrænem sentiendi ac scribendi libertatem damnent: enimvero inter ipsosmet Protestantes non rari dantur præclaris naturæ dotibus exornati, ac cultioris rationis suæ lumine illustrati, qui impia, obscœna, blasphema, superba dictoria & spurcitas, quibus Lutheri opera scatent, considerantes ea cum quodam anonymo, seu Christiani nominis indigno (t) adeo non excusare audent,

(r) Tom. 3. Witt. lat. fol. 171. Germ. fol. 143. Altorf. f. 606.

(s) Assert. articul. art. 29.

(t) In suo *Kat ärdgawron* oder neuen Gedanken.

dent, ut potius illum inter *obscuros Viros*, quo magis obscurum re ipsa tellus non tulit, numerare haud dubitent.

Tandem vero Censor meus pro solita sua benignitate me officii mei admonet, in-
 quiens: anstatt dieser langen Parænese hätte der Uebersetzer dem Paul Jovius widerlegen sollen, den darinn fast alle nach geschrieben haben, als Majus, Cave &c. wenn er nemlich erzählt, das Hochstratten vor Berdruß über die *Epistolas obscurorum Virorum* gestorben seye, denn dieser Ketzermacher starb 1527. und die *Ep. obsc. Vir.* waren wenigstens zehn Jahr vorher erschienen, ferner, das Reichlin einem zweyten Theil geschrieben, der weit heftiger als der erste, welches ganz falsch ist: quæ verba ita latine reddi possunt. *Prætermissa hac proluxa Parænesi Interpres Paulum Jovium, cujus hallucinationem ferme omnes, veluti Majus, Caveus &c. secuti sunt, refellere debuisse, dum ille narrat, quod Hochstratus epistolis obscurorum Virorum perlectis mærore tabescens obierit; cum tamen hic hereticorum faber mortuus sit anno 1527. EPISTOLÆ autem OBSCURORUM VIRO-
 RUM jam ante annos decem & amplius in lucem prodierint. Insuper confutare debuisse, quod Reuchlinus alteram prima longe acerbio-
 rem partem scripserit, quod omnino falsum est. Attamen instituti mei ratio postulat, ut Fleurii Continuatore, ejusque hallucinationes, non autem Pauli Jovii ejusque sequa-*

sequa-

sequaciam errores refellam, ac detegam; quamvis haud incognita mihi fuerit hæc Pauli Jovii fabula, quam etiam jam anno 1721. a Patre Jacobo Quietif exsufflatam sciebam: saltem Censor noster hac sua animadversione in hoc Lectores suos sibi obstrictos reddidit, quod luculento argumento testatum fecerit, quam alacri calamo Protestantes v. g. Caveus, Majus, Wartonus in appendice ad Caveum, & multi alii sequaces fabulas ab aliis vel ex malitia vel inconsulta credulitate recensitas adoptent, & veluti totidem veritates minime dubias divulgent. An vero reipsa Reuchlinus secundum volumen priori longe aculeatius ediderit, necne? parum Reipublicæ literariæ interest, id certum tamen habetur, quod tomus secundus harum epistolarum, de quo Erasmus (u) sumptibus Joan. August. Raspe editus proftet quis autem hujus fursuris calumniator illius Author fuerit, indagare haud operæ pretium est, & licet præfixam referat Erasmi Rotterodami effigiem, ab ejus tamen calamo hunc partum profluxisse haud autumo. Si vero Censor meus hoc responso nondum contentus sit, meas suppleat vices, & pace mea Caveum suum, ceterosque, qui Jovii errorem secuti sunt, refellere aggrediatur.

§. XIII.

(u) Epist. ad Cæsar.

§. XIII.

*Falsitas a Censore Interpreti improvide
afficta.*

Postquam Censor noster varia, quibus
mea sentiendi ratio ipso iudice manife-
staretur, specimina produxerat, veluti ho-
rum copia obrutus, aut laboris Critici
pertæsus subjungit: *nunquam finem attinge-
remus, si cuncta hujus generis exempla adducere
vellemus, wir wurden nicht fertig werden, wann
wir alle Exempel dieser Art anführen wollten.*
Absit a me, ut Virum longe magis serio,
utili, ac laborioso studio distentum pene
innumeris speciminibus in ingrato meæ
sentiendi rationis detineam labore, quem
nec rogatus, nec provocatus in se suscepit:
properet, quæso, ad finem, & fane sibi
suisque Lectoribus consulet. Verum *unum
adhuc, alterumve specimen adducere defati-
gato nostro Critico lubet, ut demonstratum
eat, qualiter interpret iste in Ecclesie suce favo-
rem historia abutatur, Tom. 37. pag. 404. ne-
gat, quod Franciscus I. in suo responso anno
1537. Principibus Protestantibus caverit, se
nunquam Synodum approbaturum, nisi legi-
tima sit, ac in loco tuto celebretur: propu-
gnat, quod ipsemet Sleidanus, & Frecherus
hoc responsum mere confictum fuisse testentur,
nisi forte Interpret adulterata Sleidani edi-
tione usus est, nunc se præmeditatæ falsitatis
reum fecit; quippe hæc epistola, nec non alle-
gata*

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

gata

gata verba in Richeliana Sleidani editione in octavo pag. 320. reperiuntur: ratio autem, quam D. Pater addit, in Politicis admodum valida est: „quis enim credat, quod Rex „Christianissimus talia ad apertos, jura- „tosque fidei, ac Ecclesiæ hostes perscri- „bere voluerit? „ hæc autem verba Cen- for Germanice ita pag. 457. exposuit: Nur noch ein und das andere Beyspiel, um zu zeigen, wie der Uebersetzer mit der Histori zum besten seiner Kirchen umgeht. Tom. 37. fol. 404. laugnet er, daß Franz I. den protestantischen Fürsten in seinen Antwortschreiben 1537. die Versicherung gegeben, daß er die Kirchenversammlungen nicht anerkennen werde, wann sie nicht rechtmäßig wäre, und an einen sicheren Ort gehalten wurde, er behaupt, selbst Sleidan, und Frecher hätten dieses Schreiben für erdichtet gehalten: wann er nicht etwann eine verfälschte Ausgabe des Sleidanus gehabt, so hat er sich hier einer vorsehlichen Unwahrheit schuldig gemacht, denn die Nachricht von diesem Schreiben, und die angeführte Wort finden sich in der Richelischen Ausgabe des Sleidans in 8vo. Bl. 230. die Ursach aber, die der Herr Pater hinzusetzt, ist in der politic sehr gültig. Ergo juxta meum Criticum usque adeo Ecclesiæ meæ addictus audio, ut etiam in ejus favorem historica relatione abutar, meque falsitatis studiose reum faciam; quia propugnavi, quod ipsemet Sleidanus & Frecherus Regis Franciæ responsum

sponsum pro conficto habeant. Attamen pace boni hujus viri dictum fit, quod vel mea verba non perpenderit, vel non intellexerit, aut (quod omnino credere nolim) præmeditato perverterit: scripsi enim ita: *hæc epistola a Sleidano, & Frechero mere conficta habetur*, seu quod idem est, habetur, vel videtur, quod *hæc epistola a Sleidano & Frechero mere conficta sit*, cujus rei rationem, si non in politica, saltem in Christianæ Charitatis Scientia validam addidi hanc: *quis enim credat, quod Rex Christianissimus talia ad apertos, juratosque fidei, ac Ecclesiæ hostes perscribere voluerit?* quod autem mea hæc verba obvie hunc sensum præferant, atque ego nunquam affirmare voluerim, quod hanc epistolam mere confictam esse Sleidanus, & Frecherus testentur, Censor facile exinde eruere potuisset, quod ipsa hujus epistolæ verba, ut ajunt, formalia ex Sleidano descripserim, nec ad Gallica Continuatoris verba nimis anxie attenderim, qua ergo ratione, quod Sleidanus ea, quæ ex ipso descripsi, dixerit, ignorare, aut pro confictis ab eodem haberi, affirmare potuissem? insuper Censor haud obscure innuere videtur, quod ipse serio non crediderit, id a me fuisse dictum; quippe ratio, qua me ementitæ hujus falsitatis convincere nititur, id sane non probat; inquit enim, me falso asseruisse, quod Sleidanus hanc epistolam fuisse confictam testetur, postea autem hanc rationem subjungit, quia hoc

responsum in editione Richeliana reperitur; ergone ex eo, quod hoc responsum Sleidanus recenset, sequitur, quod hanc epistolam mere confictam esse hic asserere non potuerit? potius ergo Censor ex eodem probare debuisset, quod is hoc responsum pro legitimo habeat. Sane nodum in scirpo quærit, ac perperam mihi affingit hanc propositionem, selbst Sleidan, und Frecher haben dieses Schreiben für erdichtet gehalten, cum tamen ego asseruerim: es wird darvor gehalten, daß dieses Schreiben von Sleidan, und Frecher ist erdichtet worden: non autem dixi: hæc epistola mere conficta, a Sleidano & Frechero habetur: paucis: hanc epistolam a Sleidano, & Frechero mere confictam fuisse, tanquam sat probabile asserere volui, ac propterea utrumque nomen Sleidani & Frecheri studiose ad verbum *conficta* apposui. Ejusdem ferme conditionis est Critici mei censura sequens, ubi ait: Er laugnet endlich, daß der Herzog von Mantua seine Hauptstatt nur unter dem Beding der Kirchenversammlung einräumen wollte, daß der Pabst auf seine Kösten eine Garnison darinn unterhalten müsse, die aber unter dem Befehl des Herzogs stehen solle. Der Paolo Sarpi führt diese Bedingung ausdrücklich an Hist. de Conc. Trid. 1629. in Gen. 4. p. 84. era necessario una grossa guarnigione, la qual egli non voleva dipendente da altri, & non haveva da mantenerla del suo:

dieses

dieses ausdrückliche Zeugniß ist mit dem Stillschweigen eines Pallavicini, und Pagi nicht widerlegt. Hæc ejus verba sic latine redduntur: *denique negat, quod Mantuce Dux suam Metropolim Synodo duntaxat sub ea conditione concedere voluerit, ut Pontifex suis sumptibus præsidarios milites, qui tamen Ducis imperio subessent, in ea alere teneretur. Hanc conditionem Paulus Sarpus disertis verbis adducit hoc adeo disertum testimonium, silentio unius Pallavicini, & Paggi non refellitur.*

Minus vero Cenfor sui Pauli Sarpii testimonio meam annotationem refellere poterit; non enim duntaxat Pallavicini & Paggi silentium adduxi, nonne disertis verbis addidi: *nec Sleidanus, nec alii Scriptores de hac conditione mentionem faciunt? cur ergo unius Sarpii, Scriptoris de innumeris falsitatibus convicti, auctoritas ceteris Scriptoribus prævaleat? quanti autem ponderis sit argumentum ex communi Scriptorum silentio depromptum, certe Vir artem Criticam publico exercitio profitens, ignorare haud potuit, vel saltem desuper consulere potuisset Launoyum, Honoratum a S. Maria Carmelitam excalceatum, aliosque Criticæ artis Magistros, qui de argumentis, ut vocant, negativis regulas tradunt. Videtur igitur Criticus noster hanc censuram unice ad implendam paginam addidisse; unde fatis mirari haud va-*

leo, quod tam grandis, ac perspicax aquila
adhuc muscas capere delectetur.

§. XIV.

Turpis hallucinatio Berolinensis Censoris.

Tandem Berolinensis Criticus censoriam
suam virgam retrahit, haud dubie sibi
blandiens, quod hucusque adductis exem-
plis satis superque (prout promiserat) de-
monstraverit, quo Spiritu actus ego meas
Fleurianæ Historiæ subjunxerim notas, uti
in primo censuræ suæ limine altius into-
nabat: wir wollen in einigen Beyspielen den
Geist seiner Anmerkungen zeigen: liceat vero
mihi nunc demum ab erudito meo Censore
sciscitari, num reipsa Spiritum mearum an-
notationum demonstratum reddiderit, nec-
ne? si id non fecit, sane quod initio pro-
misit, in toto opere executus non est, si
autem reipsa hunc spiritum meum Lectori-
bus suis demonstravit, qua ratione nunc
asserere potest: wir wissen gar nicht, warum
sich der Pater Alexander die unselige, und ver-
gebliche Mühe giebt, alle auch die geringsten
Schritte des Pabsts zu verfechten: seu latine:
nullatenus penetrare possumus, quam ob caus-
sam Pater Alexander ingentem, atque inanem
in se suscipiat laborem, quasvis etiam mini-
mas Pontificum actiones defendendi. Profecto
si Censor spiritum annotationum mearum,
seu finem, quo ad hasce meas notas im-
pulsus fueram, non modo ipse penetra-
vit,

vit, sed etiam illum pluribus exemplis se demonstraturum gloriatus est, cur ad censuræ suæ calcem fatetur, quod annotationum mearum spiritum perscrutari nequeat? cur sane frustraneos in se suscepit labores, eundem spiritum meum, quem ipse non penetrat, aliis manifestandi? imprudentis hominis est alios velle edocere id, quod ipsemet nescit: cum ergo præclarus hic cordium scrutator ignorare videatur, quoniam spiritu incitatus meis annotationibus summos Pontifices contra *minimas* etiam culpas ipsis vel falso impactas, vel livido calamo exaggeratas defendere voluerim, hinc bona ipsius venia impigri hujus laboris in me suscepti causam, proin spiritum mearum animadversionum eidem sincero animo pandam: præprimis igitur ad ejusmodi conatum impulit me orthodoxæ Religionis honor, veritatisque amor, ut prudentes Lectores ex adjectis notis dignoscere valeant, an Continuatoris relatio omnino certis innitatur Historicorum testimoniis, ac monumentis vel an ex adverso eorum, quæ refert, notitiam desumpserit ex dubiæ, vel nullius fidei Scriptoribus: mecum enim ex eruditis quamplurimi dudum observarunt, quod Continuator, ubi de rebus ad Ecclesiam attinentibus agitur, vel ubi dissidia Pontifices inter & Gallos occurrunt, nationis suæ studio nimium abreptus rem persæpe cum veritatis ac Religionis

ligionis dispendio referat, & studiose Scriptores pari nævo notatos, vel Ecclesiæ Catholicæ insensos seligat, prætermittis Auctoribus fide longe majori dignis: ut ergo veritas Lectoribus nullo partium studio affectis patefceret, ea, quæ a Scriptoribus coævis, ac minime suspectis de ejusmodi factis relata comperi, adjicere volui: porro ad idipsum me impellebat charitatis præceptum, quo urgemur, ut publice ac injuste læsum proximi honorem omni, quo possumus, justo modo vindicemus: cum autem Continuator sæpius recenseat facta Pontificum, vel aliorum dignitatem inique proscindentia, quin vel ullo verbulo æquum eorumdem defensorem ageret, hinc mearum partium esse ducebam, ut illud obsequii genus salva veritate læsis præstarem: ad id autem me nec spe, nec promissis, nec metu adactum, certo credat Censor meus; nihil enim a Romana aula spero, aut exopto, nec exopto, in hoc solo glorior, quod Deo propitio obsequiosissimus Filius sim illius Ecclesiæ, cui Christus Dominus e terra migraturus summum Pontificem tanquam visibile caput, ac communem omnium Patrem præfecit, eumque, ut Ecclesiam Dei regeret, constituit: unde filialis pietas calamum meum dirigebat, ut omnes calumnias, & falsitates, quibus contrafas eundem etiam cum veritatis & charitatis jactura obrui deprehendebam, amoliri

amoliri

liri

liri fatagerem; nec id mihi vitio vertet Berolinentis Cenfor meus, qui certe non ignorabit, post Divum Petrum, cui Christus oves omnes pascendi manus demandabat, successisse, sicut primis quatuor Ecclesiæ Sæculis ita & usque ad hanc diem alios, qui ab universa vera Ecclesia, quæ tum non Lutherana nec Calvinistica dicebatur, sed Catholica velut summi Pontifices habiti fuerunt, quibus omnes obtemperare tenebantur, qui vero eis illud obsequium præstare renuebant, tanquam rebelles itidem ab universa Ecclesia agnoscebantur: si ergo in Protestantium Ecclesiis rustici, sutores ac sartores Pastoris sui honorem contra calumnias defendere permittuntur, etiamsi hi opifices, ex quibus saltem in pagis ipsorum Senatus & Magistratus conflatur, perbene sciant, quod hic ipse Pastor illorum suffragio in acceptis referre debeat eum, ad qualemcunque ascendit, dignitatis gradum, a quo rursus per plebejorum vota statim dejici valet, ut testatur prælaudatus D. Fröreisen: certe non miretur criticus noster, si Papæ auctoritatem divinitus institutam defendere coner adversus ea, quæ ex livido quodam animo in ejus depressionem, & contemptum nequiter proferuntur: si vero mihi crimini det, quod etiam *minimas* Papæ actiones *auch die geringsten Schritt* des Pabsts defendam, hujusque mei studii caussam scire desideret, id a me ideo fieri

declaro, non quidem, quod *minima* Pontificis actio tanti momenti res esset, ut eam absque vindiciis abire, mihi Religioni ducerem, sed unice ea ex causa, quia dum sedulo admodum studio in originem earum atrocissimarum calumniarum, quas in fumos Pontifices hodiedum ferme ab omnibus heterodoxis Scriptoribus effundi compereram, investigarem, frequentius deprehendi, quod ex antiquioribus Historicis unus, alterve de quodam Pontifice *minimum* quid, seu levem aliquam culpam fors unico nonnihil acerbiori vel ambiguo vocabulo annotarit, postea autem alius Scriptor in ejusmodi Auctorem incidens aliunde Pontificiæ Sedi minus affectus hanc culpam magis adhuc exaggerarit, inde vero evenerit, ut sicut mendax fama volando crescit, ita etiam hic idem nævus etsi ab initio *minimus*, per plures tamen Scriptorum Pontificibus exosorum calamos ad nostra usque tempora percurrens, veluti in atrocissimum crimen excresceret, & ab hisce malevolis depingeretur, ac sensim, utpote a plurimis ejusmodi Historicis relatum, veluti veritas tottestimoniis comprobata divenderetur: igitur propter hosce veritatis corruptores etiam minimas actiones, quas a Continuatore, aut aliis in Pontificis odium ac invidiam vel confictas, vel in sinistram partem versas deprehendi, vindicare conatus sum; eas vero labe, quibus

bus etiam summos Pontifices reipfa asperfos novi, intactas reliqui; satis enim mihi perspectum est, quod Christus Dominus Capiti suo infallibilitatem in doctrina, non autem privatam morum sanctitatem eidem aut singulis membris promiserit, sed hominem, non vero Angelum suæ Ecclesiæ præfecerit. Tandem vero suam Censuram Berolinensis hic Criticus ita concludit: aus allen diesen Beyspielen sieht man aber, wie wenig ein untrüglicher Richter in Glaubenssachen die Einsdringlichkeit in der Lehr erhält. Denn beyde Verfasser des Textes, und der Anmerkungen, seynd Glieder der Römisch-Catholischen Kirche, und doch kann man sich nichts verschiedeners denken, als ihre Grundsätze, und Lehrmeynungen in sehr wichtigen Puncten. Quæ verba latino sermone ita sonant: „verum ex his omnibus exemplis „perspicitur, quam parum Judex in rebus fi- „dei infallibilis uniformitatem in doctrina „conservet; quippe ambo Auctores, ille Hi- „storix, alter annotationum, sunt membra „Romano-Catholicæ Ecclesiæ. & tamen ni- „hil magis diversum excogitari valet, quam „eorum principia, ac opiniones circa maximi „momenti doctrinæ puncta.„ Enimvero a tali Viro expectari non potest, quod de primis Ecclesiæ Romano-Catholicæ principiis magis exactam habeat notitiam; nam usum non habet, hinc in veræ fidei rebus incedere nescit, proin benevolus Lector ei ignoscat; nescit enim, quid dicat; quippe specimina,
quæ

quæ ad detegendum annotationum mearum Spiritum protulit, a pag. 456. usque ad censuræ suæ finem nonnisi circa res, vel mere historicas, vel adiaphoras, vel omnino frivolas cavillationes versantur: præter has autem unice tetigit punctum de Gallorum opinione circa auctoritatem Concilii supra Papam: vel ergo eruditus hic Cenfor hanc sententiam Romano-Catholicæ fidei articulis adnumerabat, vel non? si illam certis fidei dogmatibus accensuit, tum suam in Catholicæ Religionis principiis inscitiam manifeste prodidit, aut, ut æquius de eo sentiam, ejusmodi ignorantiam simulavit, ut apud suos, ceterosque rudiores Lectores suos, quorum gratia in lingua vulgari suas censuras edit, nomen sibi comparet, perinde ac si ex quadam duorum Authorum Catholicorum circa privatam opinionem diversitate Judicis fallibilitatem in rebus fidei, necnon dissensionem in fidei doctrina demonstrasset; si vero nomine doctrinæ, *Lehr, verschiedene Grundsätze, und Lehrmeynungen*, intelligit varias, controversas, ac discrepantes Theologorum opiniones, tunc ex eo, quod in nostra Ecclesia infallibilis sit Judex *in rebus fidei*, prorsus inepte infert, quod unitas quoque in opinionibus mere Theologicis necessario sequatur, cum potius ex hujus Judicis infallibilitate duntaxat unitatem *in rebus fidei* inferre debuisset; sicut ergo Pontifex sive solus, sive cum Ecclesia in Synodum congregata tantummodo

modo in rebus fidem concernentibus infallibilitatis dono gaudet, ita & duntaxat uniformitatem in iisdem rebus intra omnia Ecclesiæ membra conservare tenetur: jam vero Censor noster vel unicum punctum, a summo Pontifice uti infallibili Judice tanquam de fide definitum ostendat, circa quod non omnium Ecclesiæ membrorum uniformis sit consensus; quicumque enim aliter sentit, ac credit, jam non est de Ecclesia: quis autem Catholicorum vel unquam asserere ausus est, quod summus Pontifex vel solus, vel cum Ecclesia in legitima Synodo tanquam infallibilis Judex tanquam fidei dogma definierit, *pontificem esse in omni eventu Concilio superiorem, vel econtra Synodum esse supra Papam;* neutra enim harum sententiarum ullibi expresse, aut clare decisa, omnibusque fidelibus ad eam ex fide Catholica credendam proposita reperitur, uti ipsimet Galli fatentur; secus enim inter ipsos Gallos, cum ducentis abhinc annis sententia de superioritate Pontificis in Francia fuerit universalis, ac hodie dum plures priori, alii posteriori sententiæ adhæreant, fidei diversitas circa hoc punctum esset, quod tamen sine atrocissima Gallicanæ Ecclesiæ calumnia asserere fas non est: sciat Censor Berolinensis fidei nostræ articulum esse, quod *Ecclesia sit Judex infallibilis in definiendis rebus ad fidem, & mores ex ea pertinentibus;* sciat quoque in hoc puncto omnes omnino Ecclesias, etiam Gallicanam
absque

absque ulla dubitatione conspirare, atque circa hunc articulum nec unquam Continuator quicquam diversum protulit, unde nec ego unquam ab eo in notis meis circa hoc punctum discrepabam; ambo igitur sumus Romano-Catholicæ Ecclesiæ membra, ac nihil diversum excogitari potest in hisce principiis, & doctrinæ hujus articulo: diversitas vero oriebatur ex dubio, an Ecclesia consideranda sit prout est in solo Pontifice Romano tanquam in supremo omnium Pastore, & Capite universalem Ecclesiam repræsentante, vel prout est in Concilio Generali tam ex ipso, quam ex ceteris Ecclesiæ Prælatiis coalescente: hoc autem dubium, utpote nondum a Papa, vel Ecclesia tanquam Judice infallibili definitum, ac decisum, inter Theologos, & Doctores adhucdum controversum est, proin adhuc utraque hæc opinio disputantium arbitrio relicta. Hæc si scivit Censor meus, tunc ob principiorum diversitatem, quæ inter me, & Continuatorem versatur, malitiose Judicis infallibilis necessitatem sua animadversione explosit: si autem ignoravit, inanem prorsus laborem in se suscepit, dum me circa aliquod maximi momenti punctum redarguit, de quo tamen ipse crassam habet incitiam: si denique hanc controversiam maximi quidem momenti punctum, non tamen fidei nostræ articulum esse reputavit, quo ergo judicio scribere ausus est, ex allatis exemplis perspici, quam parum

parum infallibilis Judex in rebus fidei unitatem in doctrina foveat, cum tamen omnes Catholici unanimi ore fateantur, hunc Judicem in rebus doctrinæ, scilicet, opinionis Theologicæ nondum ad credendum de fide decretæ, infallibilem non esse: si vero nihilominus ipsum hæc quoque sententiarum, & sententiarum diversitas offendit, potiori adhuc jure ipsum sua quoque Ecclesia offendet: nonne enim saltem Sacram Scripturam tanquam Judicem infallibilem in rebus fidei admittit? unde ergo in doctrina, Grundsätze, und Lehrmeynungen in sehr wichtigen Punkten tanta inter Protestantes varietas, ut etiam præfatus D. Fröreisen deploret so viele, und grobe Scheltwort, Rehermachereyen, und Verdammungen in dem Gezänke, welches ihre Theologi wider einander angefangen, fortgesetzt, und recht vermehret haben, wo jedermann erlaubt ist in Sachen, die zum geistlichen Recht gehören, allerhand schändliche und ärgerliche Sätze, und Meynungen zu verfechten und in ihren ärgerlichen Lehrsätzen herausgewagten Probabilisimum, oder besser zu sagen, den gröbsten Scepticismum in der That, und in dem Werk zu treiben. Aus allen diesen Beyspielen, addat Censor ex suo cerebro, sieht man, wie wenig ein untrüglicher Richter in Glaubenssachen die Einformigkeit in der Lehre erhält: denn beyde Herren Theologi seynd Glieder der augspurgischen Confession, und doch kann man sich nichts verschiedener denken, als ihre Grundsätze und Lehrmeynungen

nungen

nungen in sehr wichtigen Punkten: Nonne maximi momenti puncta sunt gradus ab ipso Deo Legislatore Levit. 18. prohibiti, nonne Sacra Scriptura tanquam Judex infallibilis eos ipsis etiam Protestantibus proposuit? & tamen nihil magis diversum excogitari potuit, quam principia, & sententiæ, quas Pastores, seu ut vocant Consistorium A. contra Consistorium R. in causa cujusdam Mercatoris S. ante octodecim circiter annos pronuntiabat; cum illud ejusmodi matrimonium tanquam validum agnosceret, hoc vero illud a jure Divino irritum declararet, ipsumque Mercatorem, cum priori sententiæ a Consistorio S. latæ pertinaciter insisteret, nec sese a sua uxore separare vellet, etiam interdicto mercaturæ commercio, impositisque gravissimis pecuniarum multis ad parendum compelleret, litemque intenteret, quamvis postea Consistorium R. & præcipue supremum illius Magistratus Caput, prævalente Auctoritate Principis A., litis expensas solvere, & a sua sententia desistere cogeretur: prout Censor meus exactam de hoc dissidio notitiam habebit, & abs dubio acta ultro, citroque typis edita pervolverit: ceterum innumera pene specimina exhibere possem, ex quibus manifeste colligere valeret Berolinensis Censor, quam parum infallibilis Protestantium Judex apud eos unitatem in doctrina conservet: Pluribus autem, quoniam cum Viro rerum gnaro mihi agendum, ejusmodi varietatum exemplis huc recensendis supersedeo, id unice autem Censorem meum rogo, ut si imposterum denuo suam crisin in meas annotationes ferre aggreditur, præprimis id, quod prælo committit, ratione, atque argumento confirmet; indignum enim est Viri prudentis, multa adversus alterum congerere, & nihil probare; præterea ejusmodi sibi seligat materias, quæ Criticum suis numeris absolutum decent, non vero unice cavillandi studio quibusdam ineptiis, nulliusque momenti rebus, quibus Respublica literaria non ditatur, sed duntaxat charta maculatur, immoretur; secus enim non consultationem, sed silentium promeriti contemptus signum a me expectare poterit.

CON-